



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN


# **Xaverius Thaumaturgus, Panegyricum Poema**

**Frizon, Léonard**


**Burdigalae, 1684**

---


[urn:nbn:de:hbz:466:1-69047](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69047)















Th. 5877.  
X. VIII  
26.











X A V E R I U S  
T H A U M A T U R G U S,  
P A N E G Y R I C U M P O E M A,

*C V M O P E R I B V S X V.*

H I S T O R I C I S, O R A T O R I I S, T H E O L O G I C I S  
*D E S A N C T O I N D I A R V M A P O S T O L O,*

A u t o r e L E O N A R D O F R I Z O N S. J.  
F E R D I N A N D I F U R S T E N B E R G I I

E p i s c. a c P r i n c i p. M o n a s t e r. & P a d e r b o r n.

M E M O R I Æ S A C R U M,

*O b f u n d a t a m e x v o t o B a s i l i c a m X a v e r i a n a m & c.*

*C o l l e g i i S o c i e t a t i s J e s u P a d. 1687*



B U R D I G A L Æ,

A p u d J. M O N G I R O N E M - M I L L A N G I U M,  
E t S I M O N E M B O E', v i â J a c o b e â.

---

M. D C. L X X X I V.

C U M P R I V I L E G I O R E G I S.



AVERTUS

THAMATOCUS

THEGYRIUM BOEMA

CUM OPERIBUS

REPERIENS GRATISSIMIS

DE SARTIS INDIVISIBILIS

THESE LEONARDO LIPSON

REPERIENS GRATISSIMIS

DE SARTIS INDIVISIBILIS

MEMORIE SACRUM

DE SARTIS INDIVISIBILIS



BURDIGALÆ


And J. Monroem M. L. L. A. N. C. I. U. M.

Et Simonem Bos, vii. Jacobus

M. D. C. LXXVII

CUM TRIPPLICIO REGIE





FERDINANDI  
FURSTENBERGII,  
EPISCOPI AC PRINCIPIS  
MONASTERIENSIS  
ET PADERBORNENSIS  
MEMORIÆ SACRUM.

**F**ECISSET utinam Deus immortalis, ut  
FERDINANDO FURSTEN-  
BERGIO, Episcopo ac Principi Mo-  
nasteriensi & Paderbornensi, quidquid  
est hoc operis, vivo potius inscriberem,  
quàm mortuo consecrarem. Viri tanti, bonoque nati  
publico, si longiorem aetatem sanè merenti Providen-  
tia concessisset, pietate munificentiaque ornaretur &  
amplificaretur Ecclesia; autoritate sapientiaque tran-  
quillitas Germaniæ, pax Europæ assereretur; benigni-  
tate patrociniisque gauderet omnis eruditorum natio,  
& nostra hæc quoque opera nonnihil gratiæ splendo-



MEMORIÆ

risque obtineret. Nam cum alias jam lucubrationes, frequenter à me oblatas, pro suâ humanitate Princeps non facilis modo libensque aspexisset, verum & publicè spectandas multiplici & insigni beneficio dedisset; quibus ille oculis, quo animi sensu fetum hunc novissimum excepisset, materiâ certè, ipsoq; magni XAVERII nomine commendatum! Iucundissimas profectò acceptissimasque laudes habuisset Thaumaturgi, quem toties clarissimis pulcherrimisque litterarum monumentis suum ipse Patronum singularem ac beneficentissimum predicavit: & hasce tabulas, in ornatum à se fundatæ Xaverianæ Basilicæ pictas, in bono lumine collocasset.

At quoniam Summo rerum omnium Moderatori placuit, & privatos clientes, & ipsam rempublicam certo splendidoque orbare presidio; Divina scilicet voluntatis equitatem venerari, nec repetitum ex-postulare Ferdinandum, sed ad hujus gloriam felicitatemque seculi commodatum gratulari, fas piumpq; est. Biennio ante supremum diem fuerat Princeps atrocissimo morbo adductus ad portas mortis: ut ipse, verbis à Scriptura Sacra mutuatis, loquitur in diplomate, cujus à me pars refertur capite ultimo Commentariorum. Sed exoratus, adhibito voti interprete S. FRANCISCO XAVERIO, Pater misericordiarum jam deposito mirabiliter



F E R D I N A N D I .

dedit fanitatem & vitam & benedictionem. Tum quidem satis illi paternæ mitissimæque Providentiæ fuit, animum Ferdinandi explorasse; populos ei subditos clientesque alios, omnes ubique gentium eruditos, intentato damno gravissimo admonuisse & excitasse. Acuit nempe amorem timor; charissimisque capitibus ipsum carendi periculum, commendationis fit pretiique accessio.

Respiravit, revixit, convalevit cum Principe respublica & sacra, & politica, & litteraria. Verumtamen Elisæi, cujus in hisce libris crebra occurret mentio, Vatis inclyti commodè huc vox illa de Syrio Rege venerit: Dic ei; sanaberis. porrò ostendit mihi Dominus quia ( ex alia, quàm præsentis morbi causâ ) morte morietur. Sanatus enimvero, liberatusque funesto discrimine Ferdinandus, maturiorem postea mortem obiit; in hoc servatus, ut salutem consuleret plurimorum; & qui Apostolicas expeditiones quatuordecim, ad Catholicorum institutionem Lutheranorumque in Ecclesia septa revocationem, jam constituerat per universum ferè Septemtrionem, usque ad extrema glacialis Oceani littora ( quod ipsemet ad Pontificem Innocentium XI. scripsit; ) ultimarum ad Christianam Fidem gentium conversioni allaboraret, Evangelicorum præconum fundatâ suis in perpetuum opibus ad Sinas & Iapones missione.



M E M O R I Æ

O liberalem ac generosam vitæ usuram, quæ tot  
 populos ab exitio redemerit! Terrarum orbem sic per-  
 vagatur Principis religiosa munificentia; sedem Pa-  
 derborne fixit. Basilicam dico, Indiarum Sancto  
 Apostolo ex voto fundatam, ad servatæ vitæ me-  
 moriam: ut primi fert lapidis inscriptio. Extruitur  
 illud templum opere magnifico; nec solum parte sa-  
 lutis temporariæ, sed æternæ monumentum & pre-  
 tium. Nisi fortè dubitandum est, quin Ferdinandus  
 opum, quæ iniquitatis & pignora & instrumenta  
 plerumque sunt, specioso sacroque usu amicum sibi  
 paraverit, aut novo pietatis officio arctius atque ar-  
 ctius Patronum sibi potentissimum devinxerit; ut  
 ab eo, cujus augusto nomini ædem præclaram ædificare  
 cæperat, in æterna reciperetur tabernacula. Im-  
 mo, quemadmodum Alexandrino quondam Antisti-  
 ti, cui sua in egenos benignitas cognomen fecit, pa-  
 latium in cælo struxisse visa est; ita Monasteriensi  
 Paderbornensi que Præsuli, quem ego jure aliàs Ever-  
 geten appellavi, & infimos & Superos ipsos comple-  
 xa largitas templum alterum magnificentius excita-  
 rit. Angustius vitæ spatium, quàm vel naturæ, vel  
 communis postulare commodi ratio videbatur, Prin-  
 cipi contigisse queratur nemo. Contractum annis tem-  
 pus, latissimè patuit meritis; & rectè factorum, &  
 patienter denique toleratorum fructus immensum.



FERDINANDI.

Vide, quàm iniqui sint Divinorum munerum  
 aestimatores, etiam quidam professi sapientiam; in-  
 quiebat Seneca: quod in Christianos etiam plerosque  
 cadat, ea quæ Dei sunt, parum sapientes. Vera illa,  
 maximèque propria Divini amoris testimonia donaq;  
 sunt numeranda, quæ animam exornent, quæ beati-  
 tatem concilient; ærumnis vexari, excoqui, expiari;  
 patientiæ, ceterarumque virtutum exercitatione cæ-  
 lestem & gratiam augeri, & gloriam comparari.  
 Duobus istis, quibus ab invocato suppliciter Xaverio  
 Ferdinandus annis superfuit, quantum egit, qui viam  
 tot Apostolicis viris beneficentiâ suâ in Orientem ex-  
 plicuit; greges animarum innumeros ab antiquissima  
 superstitionis caligine, à demonis teterrima servitute,  
 & clade sempiterna vindicaturus! Atenim benefacto-  
 rum copiâ leviùsne donum interpretabimur perpeccio-  
 num segetem, & summam animi constantiam inter  
 acerrimos corporis cruciatus? Paradoxon me differere  
 intelligo; sed veritatis Christianæ dogma certissimū:  
 & in re apud sapientes non dubiâ rationibus parcam  
 autoritatibusque non necessariis. Hujusmodi muneri-  
 bus, acerbitatibus, inquam, variis, Apostolos, Mar-  
 tyres, aliosque sibi charissimos affecit homines Deus  
 Opt. Max. qui bonos patrio severoque amore diligit:  
 atque ita Xaverium nominatim, & toto peregrina-  
 tionis Indica decursu, & sub ipsum præsertim vita



MEMORIÆ

*limitem, vehementer asperèque exercuit. Quanquam acerbitatibus corporeis arcanum suavitatis intima sensum aspergere solet is, quem sibi in tribulatione expertum Deum consolationis luculentè Ferdinandus testatur.*

*Felices nimirum, Ferdinande, acutissimi dolores isti, & trimestris ex calculo carnificina: cujus tolerantia fortissima calculum illum tibi candidum promeruit, à Christo Domino in Apocalypsi ostentatum; unionem pretiosissimum, cui inscriptum nomen novum, quod nemo scit, nisi qui accipit. Et quibus inter ipsa cruciamenta deliciis perfusa tibi mens fuit; cum eo, quo expetebas, die obiturum te liquido presenseris! Homini benefico, qui ad periclitantis puella dotem Xaverio arcam suam permisisset (de quo plura suo loco) animum sic remuneratus à Deo Xaverius erat, ut instantis mortis diem illi prænoscendum verissimè sponderet. Tu vero, Princeps Beneficentissime, qui non dotem modo tot in Germania virginibus ad sanctiores cum Agno Cælesti nuptias erogaris; verum etiam Regis æterni nuntiis ministrisque, gentes ad nuptiale convivium ex parabola Evangelica vocaturis perducturisque, stipendia perpetua assignaris; quanto potiore ab Indiarum Apostolo gratiam iniisti, ut amice tibi & optatam sortem impetraret, & optate divinam sortis notitiam!*

Id



F E R D I N A N D I.

*Id adeo muneris ante excessum Ferdinandus octi-  
duo accepit; & laudatissimus jam olim Poëta, Vatem  
planè divinum se probavit. Vigilantissimus paratiffi-  
simusque in adventum Domini servus, diem sibi ex-  
tremum tantò antè prædixit, ac disertè prænuntiavit  
his omnino verbis: non moriar, nisi die sabbati;  
sacro videlicet die Virgini Deiparæ, cui erat impensè  
addictus, ut variis ostendi locis. Augustissima Pa-  
renti jam inde à puero devinctus; ac primùm sacris  
in æde ipsius Exquilina operatus: neque tantùm pri-  
vatus magistratum Sodalitii Parthenici, sed jam tum  
Episcopus Princepsque susceperat gesseratque. Nunc,  
ceteris illius egregii singularisque cultûs ommissis ar-  
gumentis, vel e littera, quarû segmenta nonnulla in  
postrema voluminis hujus parte elucent, quantum in  
Cœli Reginam venerationis exhibent! quàm exqui-  
sita, quàm honorata sit mentio Supremæ apud  
Deum Patronæ, absque macula Conceptæ! cu-  
jusmodi elogio Virginem Beatissimam decorare scrip-  
tor infulatus assuevit.*

*Hac ego, fateor, tam illustri significatione animi,  
Divinæ Matri Indicoque Apostolo deditissimi, tan-  
quam geminâ face, ad communium in Societatem  
propriorumque in me beneficiorum assiduam recorda-  
tionem sensumque gratissimum accedente, majorem  
in modum incensus, pia dignaque Antistitem laude*



MEMORIÆ

prosequor; & quod vivo munus destinaram, bonâ fide  
 reddo jam mortuo. Poema quidem absoluebatur, cum  
 importuna Ferdinandi luctuosaque mors est nuntiata.  
 Nec quidquam acerbo casu mutatum volui; cum rebus  
 ex verissimis factas pietasque poeticè tabulas, in Pa-  
 derbornensis ædis Xaveriana cultum & ornamentum,  
 haud difficile transferre potuissem ad templum Divi  
 ejusdem Xaverii nomine consecratum in hac urbe  
 Aquitanae Galliae primariâ; templum & antiquitate  
 & amplitudine clarissimum. Prima hæc quidem Bur-  
 digalensis ades omnium, saltem in Europâ ( quantum  
 vel audiendo, vel legendo accepimus) Novi Orbis Apo-  
 stolo extructarum; jamque ab aliquot annis in capa-  
 ciores & splendidiores formam conversa; vivam  
 hujuscemodi & loquentem vitæ Xaveriana picturam,  
 decoraque omnia & admisisset & sustinisset pro dig-  
 nitate. Sedenim constare mihi, ut dicebam, volui;  
 & quo fueram in viventem, eodem in defunctum  
 animo perennare. Alio nunc quidem sensu ac modo,  
 quàm inter meditandum Poema designabam,

Ibis Francisco junctus, Fernande, per orbem,  
 Tu quoque Principibus jam nunc adscriptus  
 Olympi.

Ad præmia magnificæ tuæ pietati debita revocatus,  
 frueris nunc antè-partorum copiâ bonorum: & innu-  
 merarum ad Septentrionem & Orientem gentium,



## FERDINANDI.


quibus tu Religiosos Apostolicosque cultores annuo perpetuos censu providisti, Sinarum ipsorum & Japonum salute semper accrescens gloria, novo & felici cumulo coacervabitur, latiusque in dies ad aeternitatem ipsam efflorescet.

Celsissimum Principem, ac religione, sapientiâ, eruditione, beneficentiâ, omnique laudum genere celeberrimum, longiori ne prosequar oratione, facit, præter ea quæ Poëmati Commentariisque intexta sunt, multiplex quam hoc ipso tempore emitto, & varia ejusdem Ferdinandi laudatio, in libros distributa quatuor: ut quod futurum haud semel officiosè scripsit, immortalitatem, si quam possim, Antistiti Principique meritissimo constituam; aut ipse potius à summi viri gloriosâ, colendâque seculis omnibus memoriâ consequar.





PROSPECTUS



ERUDITO LECTORI

PROSPECTUS

OPERIS UNIVERSI,

*Variis cum animadversionibus Religionem  
Artemque spectantibus.*



AM tibi, Lector Erudite, suscepti operis argumentum & occasio factis ex novi generis dedicatione superiori apparuit. Ferdinandum Principem intellexisti, cum extremo conflictaretur spiritu, concepto editoque voto ex ipsis lethi faucibus valetudini restitutum, ædem Sospitatori suo, Divo FRANCISCO XAVERIO Indiarum Apostolo fundasse; me istius ædis ornandæ studiosum, tabulas excogitasse Principi non minùs erudito quàm munifico transmittendas; quibus tabulis res Apostoli præcipuæ, maximèque mirabiles, poëticè exprimantur. Tum latius res easdem tractare insti-



O P E R I S.

tui : miraculorum summa capita , compluraque eodè pertinentia decora , & virtutes planè Apostolicas Thaumaturgi sum persecutus , multis aspersis observationibus Theologicis , & sacrarum literarum illitis frequentissimè luminibus. Quà de tractatione , & hujusmodi Commentariis erit mox distinctiùs agendi locus. De ipsa nunc inscriptione materiaque operis , quoad instituti vel necessitas , vel dignitas requirit , proloquar.

THAUMATURGUM appellavi Xaverium , cognomine Gregorii illius , Neocæsariensis Antistitis celeberrimi ; cum Prophetis & Apostolis , Magno Basilio teste , à prodigiorum crebritate excellentiaque comparati. At Xaverium , in solenni ad ipsius consecrationem , & , ut ita dicam , Apotheosin Christianam Relatione , Franciscus-Maria Cardinalis à Monte coram Gregorio xv. Pontifice , sacroque Patrum Purpuratorum Senatu , magnificè testatus est miracula edidisse miraculis Apostolorum simillima. Subinde Nicolaus Zambeccarus , Orator Consistorialis , in eodem augustissimo terrarum confesso , nihil fecisse minus à magnis Apostolis Xaverium affirmavit.

Dæmones Gregorius profanis ex simulacris humanisque corporibus ejecit : Xaverius , non



PROSPECTUS

per se modò, verùm etiam puerorum ministerio, quidvis Magistri usu sacratum inferentium, hostes Tartareos expulit. Gregorius montem ad laxandam ædificando, templo aream precibus removit; paludem inter fratres dissensionis originem exsiccavit: Xaverius, ad expugnandum Tolum oppidum, quod à Christiana lege Lusitanaque ditioe defecerat, suppliciter in genua subsidens montem funditus commovit; inde excitatâ per triduum flammâ, effusaque pumicum & cinerum vi, quæ totam circâ regionem constravit, arcis editissimæ pinnas æquavit: ac coortus terræ tremor urbem ipsam disjecit; paludemque oppletam saxis, in foedifragorum cladem & impiorum diffudit.

Gregorius Lyci inundationem cohibuit de facto ad fluminis ripam baculo: Xaverius defixis passim Crucibus pluvias alieno tempore elicuit in publica Indorum desperatione; barbarorum inundantes Travancoridem copias unus minaci oratione, formaque humanam superante repressit ac repulit; tigrinum nocturnos greges, ultro occurrens, verbo & aquâ lustrali exterminavit. Quid, quòd marinam aquam Xaverius Cruce signans in dulcem convertit, eâ copiâ quæ longum ad usum quingentis vectori-



bus suppeteret; diversas in regiones asportata, salutem ægris repentinam afferret? Quid, quòd turbines ac procellas toties fregit; naves jam vadis, jam scopulis illisas eripuit? Acciditque in Bengalensi navigatione aliquando jactatis foedâ tempestate mercatoribus; ut fluctus vastâ mole in navim exarmatam & laceram irruentes, simul atque invocatum objiciebatur Xaverii nomen, partim averfi in aliam partem funderentur; partim scinderentur medii, & huc atque illuc excurrerent innoxii; partim in se ipsi residerent. Cetera genere disjunctiora non commemoro, quæ toto operis decursu legentur miracula; cæcis, surdis, claudis, mutis, integritas facultasq; reddita membrorum; elephantiacis, ac quocunque morbo laborantibus, sanitas; mortuis ipsis vita quàm sæpissimè restituta: nec rarò alia collata in commune beneficia; sterilitas agris, fames oppidis, pestilentia regionibus depulsa, bonorumque omnis accita copia.

Quid, si fructus miraculorum spectamus, animorum conversiones? quid antiquus ille Thaumaturgus effecit multitudine prodigiorum, & præstantiâ? Neocæsaream civitatem Christo adjunxit: quâ in urbe septemdecim omnino Christianos Episcopatum iniens repererat, in



PROSPECTUS

eadem septemdecim omnino ethnicos reliquit moriens. Quantum verò non urbium, sed gentium Xaverius Ecclesiæ adjecit! Et adhuc Sinis inhiabat! Nunquam eò certè descendisset, quò deventurum se post aliquot devictos populos Cynexæ Pyrrhus dixerat; ut quiesceret. Cum Alexandro potiùs infinitâ cupiditate, sed longè aliâ mente, necdum à se mundum perdomitum collacrymans, mirum in modum æstuabat. Nihil actum putabat, ubi aliquid supererat agendum. Donec omnia Christo subjeceret, semper amplius, amplius, summâ contentione exclamabat; nec in somnis, ardentissimâ & insatiabili curâ solutus. omnem effervescentis ambitionis impetum placidâ charitatis aviditate superavit.

Jam quantò plura majoraque, & breviori tempore Apostolus, quam *prædo ille terrarum* confecit! Indiæ superbissimè imperator vix pedem intulit; Indiam Xaverius peragravit illustravitq; victoriis; Japoniam totque alias vetustati ignotas regiones cepit, trophæisque insignivit. Ac si tam longinqua itinera Xaverii, terrâ marique obita, in se toties reflexa implexaque, connectantur atque in unam seriem tenoremque perpetuum explicentur, sanè multos orbis terrarum universi ambitus circuitusq; confecerint.

Neque



O P E R I S.

Neque expeditionem armis instructus & copiis suscepit, ut profanus ille bellator, qui mortalium fundendo sanguine stragem Asiâ circumtulit. Hic salutem ad ultimum pertulit Orientem *lavacro aquæ in verbo vitæ*; dux idem, & miles; & *vas castrorum*, *scutum auxilii*, *gladius gloriae*, *sagitta electa* ( ut Siracidæ, Mosis, Isaïæ voces adhibeam ) coeleste prorsus telum, Divinaque machina, impietatis & superstitionis vitiorumque cunctorum expugnatrix. Unus quidem Christi militibus *plus omnibus laboravit*: quantumvis delectu severo egregiis, palmaribusque viris, plus omnibus perfecit. Eductis in campum, in pulverem & solem, viam præstruxit ad victoriam; & certissima, quæ ad calcem potissimum operis tractantur, hodieque præsidia exhibet. Mille ex populis, quodque pulcherrimum genus est victoriæ, ex mentibus animisque per se suosque, *in captivitatem redactis, in obsequium Christi*, magnificè triumphavit. & continuo in exhaustoque palmarum immortalium proventu, *magister paterque Martyrum*, ac *novarum gentium Novique Orbis Apostolus*, beatissimè gloriosissimèque coronatur.

Quare cum admirabile sit Poetæ propositum, ecquid Poematis idoneum existimari de-



PROSPECTUS

bet ac locuples argumentum, Heros Thaumaturgus? Felix argumentum, ubi non fictione quæritur & laboriosè invenitur, sed obvia reperitur & ultro subit veritatis comes admiratio! Tamen ipsa rerum magnitudo ne sibi officiat, & superbo quorundam fastidio excipiat, non nihil commoveor. *Quæ sibi quisque facilia factu putat, æquo animo accipit: supra ea, veluti ficta pro falsis ducit.* ex Sallustiana sententia; quam epist. III. ad Volusianum refert Augustinus, ex parte immutatam: *Quæ sibi quisque facilia non factu, sed captu putat &c.* At vim metiri Divinam infirmitate humanâ vel agendi, vel intelligendi, & miraculis generatim fidem abrogare, insolentissimæ fuerit perditissimæque insanix. Non leviter quidem ac temere quibuslibet credi rumusculis velim: sed ubi notata personis, signata temporibus, distincta locis, autoritatibus ac testimoniis omni exceptione majoribus communita proponuntur; ea qui neget atque explodat, næ is impudenter faciat & improbè, nec apud cordatos piosque homines profanæ censuram peruvicaciæ defugiat.

Xaveriana autem, quæ profero, istiusmodi miracula sunt: Joannis III. Regis Lusitani jussu, datisque ad Franciscum Barretum Indiæ Præ-



## O P E R I S.

torem litteris, accuratè & religiosè conquisita, omnibusque vestigiis indagata; crebris fidèque dignis testibus legitimè probata; in tabulas publicas rectè atque ordine relata, Proregis chirographo annuloque obsignata, in Lusitaniam venerunt. Inde Romam transmissa, & ad severissimum examen vocata, ut assolet; discussa, expensa, confirmata à Rotæ Auditoribus, à Sacrorum Rituum Congregatione, toto sunt orbe celebrata. Quis consentienti bonorum omnium sapientiumque voci, iniquissimus rerum æstimator, obstrepere audeat? aut quis non impietatis labem, si indignissimâ calumniâ tenebras tam illustri famæ gloriæque Xaverianæ offundere moliat, non perhorrescat? Quò tamen progredi hominum (si homines appellandi sunt) *lumi rebelium* furor non possit, cum ipsius Christi miracula, immani inexpiabilique sacrilegio, Judæi Scribæ ac Pharisei in magicas artes rejecerint?

At enim de miraculis non vacat, nec verò opus est, longam instituere disputationem: de quibus jamdiu cum alii, tum sapientissimus Theologus in libro de Providentia Numinis, atque in Consultatione, quæ Fides & Religio sit capessenda, Leonardus Lessius universè scrip-



PROSPECTUS

fit: de Xaverii speciatim miraculis, haud ita pridem, eorundem ex historia disertissimi Bartoli Italicâ collector interpretisque Gallicus, à recentissimo elegantissimoque scriptore Vitæ Xaverianæ meritò laudatus. Et ipse non uno loco attigi, quæ valeant ad faciendam hujusmodi prodigiis fidem. primùm, ubi hominem sepulchro effosso coram infidelium multitudine in oppido Colano excitatum, ad probandam Christianæ Religionis veritatem, commemoro. deinde, ubi P. Marcelli Mastrilli, & stirpe nobilissimi & virtute, sanationem moribundi expono repentinam, & multiplici insignem miraculo: quod ætate nostrâ, in oculis propè nostris editum Neapoli anno MDC XXXIV. longinqua & vetera confirmat miracula: præsertim cum restitutam Mastrillo salutem consecuta plurima sint, nec minùs admiranda, & clarissimo demum cumulata consecrataq; martyrio. Atque hæc ego, splendida totidem Xaverii beneficia, narratione satis amplâ certissimæque pertexo.

Supparem huic Marcelleæ sanationem ægriam conclamati vidit & stupuit urbs Marchiæ Anconitanæ Macerata, an. MDCLVIII. Alexandri Philippucii è Societate JESU. Diro & me.



O P E R I S.

dicis incognito morbi genere jam sesquiannum  
 conflictatus acerbissimè pius juvenis, ad S. Fran-  
 ciscum Xaverium suppliciter confugerat. Post  
 multas preces votumque susceptum, audiit P.  
 Mastrillum cuiquam, certum à Sancto Indiarum  
 Apostolo munus expetenti, autorem fuisse, ut  
 novendiali cultu præverteret quartum Idus Mar-  
 tias, quo die beatissimus ille vir fuisset albo San-  
 ctorum adscriptus: eo cultu adhibito, suppli-  
 cem optato potitum; eandemque pietatis exer-  
 citationem à multis, etiam in urbe Macerata,  
 esse feliciter usurpatam. Id verò ægrotus indi-  
 catum studiosè arripuit; nec frustra. Ipso illo,  
 quo novendialis religio terminabatur, anniver-  
 sario Xaverianæ Canonizationis, ut vocant,  
 die, inter spectandam effigiem opemque Patro-  
 ni benignissimi & potentissimi invocandam,  
 repente gravissimo incommodo liberatus est,  
 Sanctique admotis sibi reliquiis continuò per-  
 sanatus.

Miraculi sparsâ per urbem famâ ingens ad-  
 visendum Philippucium concursus factus; ma-  
 ximè omnium demirantibus, à quibus æger de-  
 stitutus ex desperatione fuerat, medicis; rémq;  
 arte suâ, & omni humanâ vi superiorem, jure-  
 jurando affirmantibus. Et qui decumbentem



#### PROSPECTUS

Alexandrum gravi sensu commiserationis vide-  
rat Episcopus Maceratensis; mirificè jam fan-  
tati redditum, officiosis ipse litteris gratulans  
Præposito Societatis Generali nuntiavit. Tum  
Philippucius quâ luce manè acerbitatem dolorū  
summam tulerat, eadem luce ante meridiē can-  
didatus expeditè alacriterque ministravit sole-  
ni ad gratiarū actionem sacro; cui & provinciæ  
gubernator, & civitatis ordines universi adfue-  
runt. Mox beneficii tanti memoriam perpetuam  
præsentissimamque exhibiturus, pro Alexandro  
Franciscum Xaverium nominari se voluit: gra-  
tioresque animum generosâ imitatione præsti-  
turus, Indicam depoposcit inîitque expeditio-  
nem.

Sed ante suum in Indiam discessum, Ro-  
mam profectus, virum omnium complexione  
doctrinarum excellentem consummatumque  
adiit Petrum Possinum, Societatis Historicum;  
egitque cum eo, Xaverianas ut epistolas, si  
quas necdum publicas Romanum haberet tabu-  
larium, faceret Latinas, sacrasque huiusmodi  
reliquias vulgaret. Omnia perscrutatus, & qui-  
nas tantum nactus ineditas Possinus, cum im-  
parem novæ editioni paucitatem ostenderet  
Philippucio; recepit hic, alias è Lusitania, ubi



## O P E R I S.

asservari didicerat, litteras Apostoli exscriptas primo quoque tempore sese missurum. Idque strenuè curavit; nec Olyssipone modò, sed Goa subinde, postea Macao, alias atque alias Romam transmisit, unde Novarum S. Franc. Xaverii epistolarum copiosiore adorna vit editionem Possinus: quod ipse narrat epistola Xaverianis præfixa. Autoris hæ quidem sui litteræ coelestem sapientiã referunt, charitatem expriment verè Apostolicam: sed potentiam quoque nunc sonare dicas, miraculum testificari, cujus occasione collectæ, versæ, excusæ fuerint. At uni, quamvis recenti illustrique signo quid immorari necesse est, atque inde commendationem argumenti mei ducere, cùm Xaverius *ubique terrarum novis maximisque fulgeat miraculis?* ut canit Ecclesia. Neque diffitentur vel hæretici quidam scriptores, quorum dicta subiiciuntur plenius, Operum Historicorum parte quartadecimâ: & sponte agnoscunt (quæ verba unius ex illis repræsentato) *de hoc viro sancto, virtutibus ejus & mirabilibus, omnes recentes Indorum historias testari.*

Constat ergo sua rebus tractandis veritas. At verisimilitudo, inquis, Poetæ quærenda, non veritas est, Aristoteli si creditur: & in sacrarum



PROSPECTUS

quidem litterarum monumentis verissima omnia, veritatis multa nequaquam speciem habere coloremque, à nonnullis fuit Christianis Poeticæ magistris observatum. Atqui vulgare istud præjudicium à me jamdiu profligatum esse confido, & in Præfatione Operum Poeticorum, & uberius in libris de Poemate, quibus Artis Poeticæ usus familiaris & Christianus continetur. Quid? superioribus de Xaverio, ipsiusque miraculorum celebritate nihilne sumus affecuti? Age nunc (summatim ut aliquid reponam;) absurda & impia veterum commenta, foedè inter se pugnantibus fabulis & immanissimis portentis ab hominum sensu longè abhorrentia, ob vulgi tamen iis temporibus errorem probabilia ducebantur: & Christianæ mysteria Religionis, à tot jam sæculis constituta, purissimæ naturæ luminibus consentanea, sanctissimis institutis fundata, extraordinariis vaticinationum eventis illustrata, martyriis firmata innumeris, antiquis perennibusque sancita miraculis, unum idemque in hac causa existimantibus cum populo sapientibus, probabilia non habeantur? Itidem quidquid huic sacrorum tanquã capiti connexum aptumque cernitur, & autoritate legitimâ receptum; quanquam vel more solito, vel captu



OPERIS.

capto mortalium superius; at iis, quæ docti à principio sumus, quibúsq; fides Catholica nititur, sanè facilius & humanæ intelligentiæ propius, credibile non videbitur? An verò Xaveriana quisquam hujusmodi negabit extitisse miracula; ad mysteriorum persuasionem, ad gentium conversionem, ut in Ecclesiæ primordiis, frequentata; & utrunque per orbem deinceps, non solùm famâ, sed experienciâ quoque pervulgata? *Nomen ejus honorabile apud omnes gentes: prout effatus in Pontificio Canonizationis instrumento Urbanus est. atque ut priùs in Relatione consistorianâ asseruerat Cardinalis à Monte; Nulla natio est in Orbe Christiano, quæ Xaverium eximie sanctum non prædicet.*

Scitè Arrianus l. v. de Alexandri expeditione; quæ incredibilia sint, ea mentione adjectâ Numinis credibilia apparere. Jovem tu mihi tamen, aut alium ex illa inanum deorum farragine obsoletâ, cave ad conciliandam eventui inusitato fidem producas.

*Quodcumque ostendis mihi sic, incredulus odi;*  
& mecum, quisquis verè Christianum sapit.  
Talibus nugæ scilicet canuntur & ineptiæ, in rejoculari tolerabiles fortasse; in serio utique negotio, ridiculæ prorsus, ne quid gravius dicam.



PROSPECTUS

At Xaverio, mirifica ut gerat, non *Deus è machina* vanus & scenicus adest: adest unice verus, & *mirabilis Deus in Sanctis suis; qui è idoneum fecit Ministrum Novi Testamenti, & Christi numine Thaumaturgum.* Quid Christi non ditioni obnoxium, potentiae non expeditum? Xaverius Omnipotentis *nomine demonia eiecit, linguis locutus est novis &c. Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis.*

Quòd si quis fortè urgeat & pugnet contumaciter litigiosus, facta in poema non quadrare; opus esse fictione: quo certius in poeticis iudice, quàm Aristotele; quo plausibilius teste, quàm Marone revincatur? At Philosophus ita censet; nihil vetare, quominus is qui facta verisimilia tractet, horum nomine Poeta sit. Neque illa movere nos debent, quæ occinuntur infamis Petronii, de ambagibus deorumque ministeriis, & fabuloso sententiarum tormento, veluti oracula. (Præceptum, ac pro exemplo subjectum Specimen Belli Civilis, excussi in libris jam indicatis de Artis Poeticæ usu familiari & Christiano:) neminem, inquam, movere illa debent, cum audiamus contra Virgilium in opere absolutissimo profitentem; *Non hîc te carmine ficto, atque per ambages... tenebo.* Sed fabulæ



OPERIS.

vocabulo fictionisq; abutuntur non pauci, & utranque cum re falsâ confundunt: quarum ego vocum ambarum justam in Poetica notionem informavi.

Accedit ad ista autoritatis præsidia rationis certissimum firmamentum. Nam commentum, quæso, in poemate cur adhibetur, nisi ut, quam nuda materies non suppeditat, admirabilitatem præbeat machina? Cum itaque rei innata magnitudo sese offert, atque, ut Ambrosius loquitur, major ambizioso eloquentiæ mendacio simplex veritatis fides; quid aut necesse est, aut poesi quid convenit, Petronianas ambages fabulosaque tormenta exquirere? Crescit omnino splendescitque, non deteritur, veritate admirabilitas. Fabulæ demum & fictioni cuilibet, Epicæ quidem, subesse quasi fundum veritatis oportere, constat ex Poeticæ Doctorum communi probatissimaque sententia. Idque potissimum genere in Panegyrico valet; ubi extructa laudum altitudo, caduca ludibrioque proposita est, nisi veris subnitatur laudati virtutibus, operumq; magnorum solido fundamento.

Hic ego aptius de Xaverio, quam de Trajano Plinius, usurparim: *Quæ tam Poetica, & quamquam in verissimis rebus tam fabulosa materia?*



PROSPECTUS

Non dico, ut autor subjungit elegantissimus, *inmissa terris nova flumina, novos pontes fluminibus injectos*; sed repentinam in summâ siccitate imbrium vim cœlo excitam, montium venis & faucibus evocata incendia; motas trementesque terras, pacata & strata maria; illic concitatas, hîc compositas tempestates: Virum jam formâ Gigantis exaggeratum; jam elatum solo, adminiculo nullo suspensum, radiis circumfusum; jam hostium armata infestaque agmina cœlesti specie disturbantem. Quid fugata inferna monstra? quid ægri passim lectulis, demortui pheretris & sepulchris excitati? Adde corporis incorrupti spectatissimas exequias, pompasque in funus triumphales; adde supplicationes urbium; atque ex publico sensu pietatis, aut etiam salute receptâ, clientium populorum Liberatori Patronoq; suo festas gratulationes. Parùmne hæc, amabo, seges poetica? fatîsne jucunda mira; varietas? Nec verò admirabilior videbitur homini attento & prudenti Xaverius, procellas tranquillans, quàm naufragus in tabula; mortuos excitans, quàm ipse moriens. Heros ubique ac Thaumaturgus.

Hactenus de materiæ probabilitate ac dignitate: par utinam opus, rerum certè copiâ præ-



O P E R I S.

stantiâque non usquequaque indignum, extiterit! Magnitudine quidem par nullum poema extulit panegyricum antiquitas; nec posterior ætas, certè de Indiarum laudatissimo Apostolo, tantum edidit. At inde operis neutiquam petenda æstimatio. Ad formam igitur quod attinet; cuncta poeticè tractantur sic, ut neque fictio veritati, nec suavitati quidquam veritas detrahat. Quæ præcipua in antiquis hujusce generis operibus inventa numerantur, hîc aut reperta sunt, & argumento infixæ, sponte efflo-ruerunt; aut illa quidem adscita variè, non machinis tamen contorta, sed mollissimè adducta comparent.

Ecquid solerter à profanis excogitata reputantur, præfaga multiformiaque somnia? Objiciuntur sopito, sed nunquam animis jacenti Xaverio, terrarum undarumque tractus immensi, gentes innumeræ, portenta periculaque infinita. His interim visis immanibus non interrita modò, verùm etiam incitata fortitudo, labores doloresque ampliùs ampliùsque appetit & provocat. Quæ poetica magis vel inventio, vel oratio, quàm Sibyllæ vaticinatio apud Tibullum, apud Virgilium, bella, horrida bella, & Thybrin multo spumantem sanguine cernentis? At



PROSPECTUS

Xaverius animo longissimè excurrens, arcano visu navale prælium spectat; votisque à se accersitam Lusitanæ classi ex Acena victoriam, dum in templo Malacæ dicit ad populum, figuratè penitusque poeticè describit, ac propheticè nuntiat obstupefactæ concioni. Atq; hæc in specimen libata sufficiant. diffusa namque in omnè panegyrici partè istiusmodi sunt miracula, & inter se nexa: quæ, ut suapte naturâ fortasse artificem, divinaq; vi erexerunt; ita spectatorem ipsâ specie suâ facilè corripiant, tantæq; intentum pulchritudini defigant.

Aliæ occurrebant perpetui contextûs rationes ac viæ (& aliquas in Poeticâ jampridem indicavi: ) sed eam delegi formam, quæ Xaverianorum plurimas & clarissimas partes operum exprimeret. Nam Ferdinandus à me ita celebratur; ut quemadmodum fundatoris in æde sacrâ & opere muto insignia disponuntur, sic laudes poemati, & picturæ, ut vocant, loquenti intexantur. Non hæreo in ædificatione quamvis lauta & splendida crescentis assiduè molis: ut accipio ex R. P. Theodoro Beteo, Collegii Academiaeque Paderbornensis Rectore; cujus ego humanissimis litteris & alia sum edoctus ad Ferdinandi Principis gloriâ scitu dignissima. Xa-



O P E R I S.

verium ipsum, ædi ornamentū suæ induco (quid enim aut congruentius aut illustrius poterat inveniri?) lectissimas Apostoli res Iconibus effinxi: Basilicam huiuscemodi apparatu distinctam, propriis poeticisque formis decorabo. Scena multiplex & magnifica, quæ sacros parietes convestit,

*Admiranda tibi gravium spectacula rerum,*  
quisquis huc piè curiosos intendes oculos, exponet. *Vt pictura, Poesis erit.* Et tali Virgilius ornatu Carthaginense templum descripsit. At ego non simplices tabulas instruxi: certa paria tabularum, præter Furstenbergicam unam, & singularem, Paderbornensi templo appendi; seu rerum, ac miraculorum, sibi pro similitudine partim concinentium, partim ex oppositione alludentium imagines: nisi quòd voces geminas, & ipsas tamen sanè mirificas rerum notas amplissimarum, efferentem Xaverium in principio constitui. Omnia denique sic informata sunt, ut ea qui perleget oculis haud profanis & ineruditis, non *animum picturâ pascat inani.*

Poeticis Iconibus quindecim respondent Commentarii totidem, quorum plerique instar librorum habent; non de Poematis forma versibusque conscripti, quales vulgò appellan-



PROSPECTUS

tur in opera veterum autorum conditi ad difficultatum enodationem ; sed materiae Poemati subjectae , historiaeque Commentarii ; quo nomine libros habemus Cæsaris , nudos & venustos ex Tulliano iudicio. Equidem venustos perinde meos optarim ; aut , quod majus est , dignitate præditos : nudos certè haud volui *Commentarios rerum , omni ornatu orationis tanquam veste detractâ*. Neque id scriptionis genus & nomen solummodò nudae rerum positioni congruere , declarat M. Seneca l. controvers. III. quòdque in dialogo de Claris Oratoribus ait Cicero ; L. Crassi *contra Domitium non est oratio , sed quasi capita rerum , & orationis commentarium paulò plenius* ; idem non incommodè censetur de singulis nostris in D. Xaverium operibus.

Materiem & tanquam solum historia subternit ; cui passim aliquid operis panegyrici inædificatur : ac mera sæpe explicat se narratio historica. Parcè profana in comparisonem & ornatum adhibui ; sacra ex Divinis Ecclesiasticisque monumentis , largè & variè. Singulis etiam partibus sententiam ex alterutra sancti foederis pagina præscripsi : quo lemmate persona ferè aut exprimitur aut indicatur ex novo priscòve Testamento



O P E R I S.

Testamento illustris, quicum Xaverius comparatur. etsi non tam personas, quàm res gestas comparo. Nec offensionem debet esse laudationis hæc ratio; cum Gregorius (de quo antè dixi) Prophetis, ac Mosis nominatim, & Apostolis fuerit compositus. Gregorio certè, ut demonstravi, copiâ excellentiâque miraculorum non impar Xaverius, verè Thaumaturgus meritoque cognominatus, & Indiarum Apostolus, ac *Spiritu Prophetia*, (quod agnoscit Ecclesia) *toto orbe conspicuus*; haud temere profectò, nec injuriâ cum Prophetis & Apostolis confertur: strictim quidem & obiter cum multis; cum aliis pleniùs, Mose præsertim & Paulo.

Eliam in primis selegi, parallelum (si verbo maximè proprio uti conceditur) à flagrantissimo Divinæ gloriæ studio, & operum naturam superantium effectione clarissimâ. Unde *amplificatus in mirabilibus suis* dicitur à Sapiente in elogio illo quod Ecclesiastici c. XLVIII. consignatum, distributè sum persecutus. De hoc instituto meo plura suo loco, peculiari ad Commentarios præfatione: hîc satis ad tanti Vatis præconium fuerit, annotasse; quòd in celebri Judæorum Hierosolymitarum ad Joannem legatione, ubi est à Christo discessum, quem se esse Bap-  
ti-



PROSPECTUS

sta pernegavit, proxima in Eliam percunctatio incubuerit: & idem, quo major non surrexit inter natos mulierum, Domini Præcursor ab Angelo fuerit Eliæ spiritu & virtute commendatus; à Domino, Eliæ nomine insignitus: quòdque verus ipse Christus pro Elia sit putatus & celebratus.

Eliæ Elisæum, propter adductas loco jam signato rationes, adjunxi. Verùm, quoniam Elisæus magistro fuit ex Divino jussu Propheta substitutus, & spiritu magistri completus; cum eo Mastrillum in hac parte, Xaverio quasi Eliæ subrogatum, alicubi perpaucis confero. Miraculis autem Prophetæ geminus utriusque Xaverius; aut sicubi fortè dissimilis, at dispar vix usquam conspicitur. His ergo aliis que ex universa Scriptura, & aliquot ex historia Ecclesiastica heroibus componitur Xaverius. Est enim, quod ex Ciceroniano didicimus Antonio, *cum ceteris præstantibus viris comparatio in laudatione præclara*. neque hîc invidiosa; quandoquidem, sicuti antè sum professus, coelestium inter se virorum non merita comparo, sed facta.

Non tamen in Xaverii prodigiis unicè meaversatur commentatio; ni prodigia numerentur opera Thaumaturgi omnia. Nimirum



OPERIS.

*ejus virtutes heroicas, heroica opera gravissimè dixit haud semel à me laudatus Cardinalis; qui sacrae Rituum Congregationi Præfectus, de Xaverio Sanctis adscribendo, post causam diu multumque agitatam & sapientissimè recognitam, ad Pontificem Maximum & supremum Ecclesiae Senatam retulit. Cujus in sententiam ivit, nisi potius præiisse dicendus est orbis terrarum universus; & unanimes consensu agnovit, justaque admiratione profecutus est planè heroica Xaverii facinora. Tales ego tantasque Apostolicarum virtutum actiones, Xaverianis conjunctas prodigiis & individuas, totis passim commentariis pertracto, extremis potissimè: ubi, occasione fundatæ à Principe Ferdinando ad Sinas & Japones missionis, Evangelici operarii formam propono, imaginem Xaverii, qui miraculis omnibus, quæ fecit, majus ipse extitit miraculum.*

Principio consilium mihi fuerat, Lector Erudite, singulas Poematis Icones brevi explicatione materiae, quæ hujuscemodi tabulis ambitur, cum aliqua insigni comparatione illustrare. Sed ipsa statim argumenti benignitate captus, sensimque provecus, nec tamen inconsideratè, specimen dedi, quid fieri in hoc genere



PROSPECTUS

posset. Denique tractationem aliquantò liberaliorem primi capituli excusavi ad finem, si cui fortè in trita commentariorum significatione consistenti viderer modum excessisse. non id sine autoritate exemploque commissum; facere mecum locis variis Sanctos Patres, dum sacras literas explanant quadam orationis ubertate & lætitia.

Verum, nec, uti jam commonstravi, necessaria fuit excusatio apud rectè intelligentes; nec illa contractio, quam mihi in capita reliqua præscripseram ob angustiam temporis & iniquitatem. Videlicet insperata Deus nobis otia fecit; non ut singulis immorarer concinnandis, sed plura ut festinatò procuderem. Per varios identidem casus, & importunas editioni, non scriptioni moras, quæpiam mollitæ difficultates, circa totum hoc negotiû Providentiæ ductu suavissimo. Itaque illam mihi à me brevitatis legem indictam, in proximi tantùm capituli parte priori, & iterum alibi servandam sensi: in ceteris usus opportunitate, summum cujusq; partis argumentum locupletavi rerum accessione plurimarum, eodè spectantium. quæ tamen cum inæqualis abundantia sit, idcirco etiam capitulum impar habitus; quemadmodum & iconismorum in



O P E R I S.

Poemate: sed permulta ubique rerum & dignitas & varietas. Audiendus verò Plinius est consularis; qui de suis agens operibus, hoc statuit. *Sapiens subtilisque lector debet non diversis conferre diversa, sed singula expendere; nec deterius alio putare, quod est in suo genere perfectum.*

Theologicos historicosq; duntaxat commentarios inscribendo, principales & ubique suas partes, ratione præsertim habitâ materiæ, designaram; in generali tamen inscriptione, oratoriæ partim formæ indicium addidi. Theologiæ autem mentio hîc solam non innuit rerum tractationem Divinarum, sed etiam usum Divinæ Scripturæ perpetuum. Neque est, quòd aut rudiores hujus majestatem nominis deterreantur; cum omnia capere queant vel modicè eruditi, quantum sit satis ad uberem animi ingenii-que fructum, & conjunctam pietate voluptatem: aut quòd delicatuli homines, tanquam inelegantia ac barbaria in loquendo confessione & denuntiatione aversi, fastidiosius commentationem hujusmodi respuant. Quantam res piæ vel suscipiant vel pariant suavitatem, non uno in libro disputavi: hoc quidem loco tantùm opponam; fuisse interdum à Cicerone adhibita superstitionis vocabula antiqua & horrida; nec vi-



PROSPECTUS

tio dari scriptoribus artium , si suæ quisque professionis familiaria propriaque usurpet verba : nedum orationem corrumpi & sordescere conceptis octo decémve , minùs Latinis fortasse vocibus ; quas & sapientissimi politissimique auctores frequentarint , & ipse Religionis usus consecravit.

Cetera dictio ex Tullii ac Virgiliti fontibus ita derivata est , ut nonnihil ex aliis principibus Latinitatis sciens volensque admiscuerim. Nihil quidem obsoleti , aut parum candidi ; nihil peregrini , aut alieni ( iis , quæ identidem autoritatis maximè causâ notavi , exceptis. ) Nam etsi viderem Xaverianis de rebus multa elocutionis lumina ex Maffeo sumpta à Turfellino , plura ex utroque ab Orlandino ; tantumdem mihi ipse non permisi : in eoque elaboravi ; ut cum priores illi optima jam occupasse viderentur , aliter ego dicendo haud pessimè dicerem ; ac viam cum iis contendendi aperirem , quibuscum esset honestius certare , quàm plerosque alios vincere. Sin aliquid Criticorum veterum legibus repugnare , aut recentium quorundam observationibus videbitur ; videsis novam in Criticos Disquisitionem , Furstenbergianorum nostrorum libris quatuor præfixam : & in Poeticâ ,



## O P E R I S.

Dissertationes singulas de singulis dotibus narrationis, ac librum tertium de Dictione: ubi crebræ circa historicam quoque, & oratoriam facultatem animadversiones. Jam quòd versus aliquot interposui commentariis; id & probat, & facit in philosophicis oratoriisque Tullius non infrequenter, adscitis insertisque versibus, etiam ex poetis non bellissimis.

Quid superest, in hac parte quod admoneam te, Lector? Indiam, strictè modò proprièque, modò latè atque ex usu communi à me usurpatam & in carmine & in solutâ oratione. Tum, quod aliis usui possit esse, Mastrillum à me nominatum, quem scriptorum nonnemo perperam Mastrillium; sed, ut scripsi, nominandum omnino, ex autoritate certissima & cœlesti oraculo D. Franc. Xaverii, cùm ægro moribundoq; verba præivit religiosæ formulæ votorum. Nec abs re fuerit observare de Sancto eodem Apostolo, cùm sæpe eo tempore se ipse nominarit, semper Franciscum Xaverium conjunctè appellasse. Cujus moris ecquid ratio in precibus Ecclesiasticis haberi debeat, videant quos talium cura spectat, cùm suam Apostolus videatur significasse voluntatem. Quod illi non singulare acciderit. Sanctorum quippe Joannis Chry-



PROSPECTUS

Joſtomi, Petri Cœleſtini, Petri Nolaſci &c. factis in orationibus cognomenta exprimuntur.

Ad extremum ſic habeto, Lector Candide, mihi in hoc opere nequaquam propoſitum fuiſſe, ut facta Xaveriana complecterer omnia, quæ ſunt infinita. Et verò ita non ambitioſè ab historicis noſtris conſcripta ſunt, nullum ut ejus de vita editum legerim librum, in quo extent cūcta vel miracula ſplendidiffima, quæ diplomate ſunt Canonizationis Indici Apoſtoli conſignata. Ex hac ego Bulla præfertim, atque ex Relatione facta in Conſiſtorio, & Oratione ibidem habita, quas crebrò in teſtimonium adduxi; deinde ex vita à Turſellino ſcripta, & ſparſim fruſtatimque ab Orlandino relata ( ut ſuperiora quædam monumenta, minùs copioſa, taceam; ) ac demum ex ampliffima Bartoli hiſtoria, cui poſteriores vitæ Xaverianæ inhæſerunt ſcriptores, materiem narrationum mearum aduſque Xaverii mortem duxi: & poſthuma quædam miracula, aliaq; ſuperiori ſpectata ſeculo decora indidem accepi. Nam recentiora quæ hanc nobilitarunt ætatem prodigia, aliunde publicis ex actis petii; quæque huic agnata regioni ſunt Xaveriani honoris incrementa, externis ac poſteris oculatus gratuſque piorum ac perennium donorum



O P E R I S.

donorum testis rite promulgo. Quòd si quid recentibus historicis aliquâ in parte dissentaneum à me refertur ad majorem D. Xaverii gloriam ; id verò certis & rationibus & autoritatibus nititur : & comprobari dilucidè posset, si quem hæc universa præfatio modum exigit, pateretur. Sed ipsâ expositione res acriter intuenti patebit: ex. c. locus, ubi navis ruinosa, quæ sanctum incorruptumque Apostoli corpus Malacâ advexerat ; mirificæ beneficio sarcinæ, & quasi vecturæ pretio, tempestatum scopulorumque victrix, jam reddito sacro pignore ultro subsidens in ipso portu demersa est.

*Quàm multos scriptores rerum suarum Magnus ille habuit ! ut hoc Ciceronianum de Alexandro dictum in melius convertam. Et hic quidem laudatoribus circumfluens, at justæ solidæque laudis ignarus, Achillem fortunatum Homerico virtutis præconio exclamavit. Me verò beatum ipse prædicarim, ad Xaverium Thaumaturgum admissus, poematis commentariisque multiplicis argumentum : qui fabulosam, vanorumque miratricem facinorum antiquitatem longè superavit, verè heroicâ fortitudine ceterarumque virtutum clarus insignibus... Denique minus est quod illa finxit quàm quod iste gessit.*

†



PROSPECTUS OPERIS.

ut appositè inquit Ambrosius de Abrahamo:  
cujus *benedictionem Patriarchæ Dominus spiritua-*  
*liter elargitus* Xaverio, ab Urbano dicitur Pon-  
tice; *ut multarum gentium pater efficeretur; &*  
*filios, quos CHRISTO IESU genuerat, super*  
*stellas cæli, & super arenam, quæ est in littore*  
*maris, multiplicatos videret* **INDIARVM**  
**APOSTOLVS.**





ARGUMENTA  
COMMENTARIORUM,  
SIVE  
OPERUM HISTORICORUM,  
ORATORIORUM, THEOLOGICORUM,  
PANEGYRICI POEMATIS ICONAS  
respicientium.

CAPUT I.

Iconum Pari primo respondens.

*Xaverius objecta sibi divinitus laborum gravissimorum specie exclamat, amplius. Tabul. I.*

*Surrexit Elias Propheta quasi ignis, & verbum ipsius quasi facula ardebat. Eccli. XLVIII.*

PARS ALTERA.


*Xaverius deliciis affluens cœlestibus, identidem succlamat, Satis est Domine. Tabul. II.*

*Sufficit mihi, Domine: tolle animam meam.*

III. Reg. c. XIX.

Accommodantur Indiarum Apostolo hæc Prophetæ verba: quorum occasione, similes dissimilesque, at laudabiles omnes in Xaverio, sensus & actiones variæ attinguntur.





## CAPUT VI.

Iconum Pari sexto respondens.

*Xaverius mortis victor.* Tabul. VI.

*Et quis potest similiter sic gloriari tibi? qui sustulisti mortuum ab inferis de sorte mortis in verbo Domini Dei.* Eccli. XLVIII.

Corollaria de morbis omnigenis à S. Franc. Xaverio curatis miracè, divinitusque sanatis.

## PARS ALTERA.

*Xaverius moriens.* Tabul. XII.

*Morere in monte... è contra videbis terram, & non ingredieris in eam.* Deuter. XXII.

Appendices de Xaverii morbis variis, & miris sub mortem prædictionibus.

## CAPUT VII.

Iconum Pari septimo respondens.

### XAVERII POSTHUMA GLORIA

I. *Per Indias, maximeque in urbe Goa.* Tabul. XIII.

(*Mortuum prophetavit corpus ejus.* Eccli. XLVIII.

*Quicumque glorificaverit me, glorificabo eum.*

I. Reg. II.)

II. *Per Europam, ac præsertim Neapoli.* Tabul. XIV.

*Prophetas facis successores post te... qui scriptus es in judiciis temporum lenire iracundiam Domini.*

Eccli. XLVIII.

*Gloria & honore coronasti eum, & constituisti eum super opera manuum tuarum.* Psal. VIII.

Sei multa de P. Marc. Mastrillo, & Neapoli servata &c.









## ERRATA ET OMISSA

- P**ag. 9. vers. 2. vide ad calcem libri Mutanda & Addenda:  
P. 11. vers. ult. post, carina, adde, est.  
P. 15. vers. 27. lege, Parava.  
P. 19. in Notis lin. antepen. distingue, calce operti.  
P. 20. vers. 3. mentis, lege, dotis.  
Ibid. in Nota, Rom. VIII. lege, x.  
P. 41. vers. 21. post, forma, in fine adde, est.  
P. 54. initio, Et illa, lege, Est illa.  
P. 60. lin. ult. lege, jam Cocinum tenet.  
P. 61. lin. 1. lege, jam Comorinum pergit.  
P. 68. lin. 30. post, latiatæ, dele reliqua.  
P. 76. lin. 33. dele, emendatissimis.  
P. 77. lin. 18. post. Apostolus, adde, Sanctus.  
P. 79. lin. 23. Onias, lege, Simon Oniæ filius.  
Ibid. lin. ult. in Notis initio adde, II. Corinth.  
P. 86. lin. 22. post, Xaverium, interpunge.  
P. 88. lin. antepen. post, Indis. lege, per menses supra decen-  
nium sex aperuit.  
P. 90. lin. 22. urbem aliam; lege, vix urbem aliam, dele,  
nullam.  
P. 91. lin. 14. post, repræsentio; adde, cui narratio Bartoli  
consentit.)  
Ibid. lin. 29. Hic verò; vide Mutanda & Addenda, in ex-  
tremo libro.  
P. 94. lin. 15. lege, quasi parelium, non qualia item Seneca  
vult, translato.  
P. 96. lin. 35. post. scelere; adde, (ut refert Tursellinus.)  
P. 100. lin. 6. post, memoratum est; adde, factorum.  
P. 14. lin. 11. in fine dele, ac.



- P. 120. *ad calcem*, in nota sequentis pagina; lege, emisit.
- P. 124. *lin. 21. lege*, transfigens.
- P. 135. *lin. 16. Sternitur*.
- Ibid. lin. seq. nec magistri; sine interpunctione.*
- P. 140. *lin. 2. scripsit; adde*, imperfectæ in homine naturæ præcipua solatia, ne Deum.
- P. 144. *lin. penult. transfer*, Marc. 3. *in lincam ult. ante*, Luc.
- P. 145. *post*, expertos; *adde*. Ac quoniam Naamanis incidit mentio, adverte, quanto antecellant Prophetæ regibus. Acceptis namque à Rege Syriæ literis, quibus denunciabatur, missum à se Naamanem, ut sanaretur à leprâ; Israeliticus rex scidit vestimenta sua, & ait: Numquid Deus ego sum, ut occidere possim & vivificare? quia iste misit ad me, ut curem hominem à lepra suâ... Quod cum audisset Elisæus... misit ad eum, dicens; Quare scidisti vestimenta tua? veniat ad me, & sciat esse Prophetam in Israel. Talem, Indiarum Prophetam simul & Apostolum, plusquam regiam & cœlestem potentiam, elephantiacis, ulcerosis, qualicumque affectis morbo, in integram restituendis exprompsit creberrimè, seu potiùs assiduè.
- P. 150. *lin. 26. post*, prohibitum. *adde*; itemque 1. Thessal. 11. se, ad eos ne veniret, à Satana impeditum.
- P. 163. *lin. antep. in fine*, constanter. *lin. penult. Deiparæ*.
- P. 171. *lin. 10. & 11. Franciscanus*.
- P. 175. *lin. 19. vocabant*, lege, vocant.
- P. 178. *lin. 18. effigies*.
- P. 185. *lin. 18. lege*, Verè hoc mihi tamen videor.
- P. 187. *lin. 17. Atque per se. repone*; Atque his per se.
- P. 191. *lin. 13. adde*, Francisco, ante, Xaverio. *sic enim Sanctus ipse dixit*.
- P. 208. *extremâ in Notis. adde*, Marc. 9.
- P. 209. *lin. 3. initio lege*, Quocirca.
- P. 235. *lin. 32. Manaram*, lege, Manaparam.
- P. 238. *lin. 26. post*, terris, *dele virgulam*.
- P. 252. *vers. 13. è femine*; lege, à femine.



*P. 256. lin. 17. notatus est numerus 144. pro, 244.*

*Pag. 69. in titulo lin. 5. inter lustrandos baptismo ethnicos, lege, inter baptizandum. Eodem modo corrige pag. 5. lin. penult. in Notâ & Titulo.*


*Pagine aliqua falsis perversisque sunt numeris prænotatæ; 66. 93. 102. 109. 176. 233. 256. Suos, illis hos restitue veros propriosque numeros.*

Sunt præterea litteræ nonnullæ, affines, aliæ pro aliis positæ: distinctiones & interpunctiones quædam omissæ; quædam alieno loco adhibitæ: nonnunquam inter excudendum emoti perturbatique characteres; syllabæ etiam quæpiam dilapsæ: & interdum aliquid post folia aliquot procusa correctum: unde alicubi varietas occurrat in exemplaribus. Sed hæc quia longius esset minutè persequi, tuæ, Lector, eruditioni facillè corrigenda relinquuntur.

Ad libri calcem appositum est majus aditamentum.







FACULTAS  
R. P. PROVINCIALIS  
SOCIET. JESU.



GO CLAUDIUS TEXIER, Societ.  
JESU in Aquitania Præpositus Provin-  
cialis; juxta privilegia à Christianissi-  
mis Regibus HENRICO III. HENRICO IV.  
LUDOVICO XIII. LUDOVICO XIV.  
23. Decembr. 1650. nobis concessa, quibus pro-  
hibetur omnibus Typographis, ac Bibliopolis,  
ne libros ab ejusdem Societ. hominibus com-  
positos excudant excudendósvē curent absque  
Superiorum Societatis ipsius permisso; faculta-  
tem concedo JACOBO MONGIRONI-MILLANGIO  
Typographo Regio, & SIMONI BOE' Biblio-  
polæ, ut *XAVERIVM THAVMATVRGVM,*  
*Panegyricum Poëma cum Operibus Historicis &c.*  
*Autore Patre LEONARDO FRIZON è nostra So-*  
*cietate*, ab aliquot Societatis ejusdem Theologis  
approbatum, typis mandare ad sex annos proxi-  
mos liberè possint. In cujus rei fidem, has litteras  
manu propria subscriptas, officiúq; sigillo muni-  
tas dedi. Bordigalæ 29. Augusti 1683.

CLAUDIUS TEXIER.









EXTRAIT  
DU JOURNAL  
DES SCAVANS.

Du Lundy xxix. Janvier M. D C. LXXXV.

XAVERIVS THAVMATV'RGVS  
PANEGYRICUM POEMA  
CUM OPERIBUS XV.

HISTORICIS, ORATORIIS, THEOLOGICIS

DE SANCTO INDIARUM APOSTOLO,

Autore LEONARDO FRIZON S. J.

*In 8. Burdigala.*

*Et se trouve à Paris chez P. Lesclassan 1684.*



U E L Q U E admiration qu'on ait toujours  
euë pour Saint François Xavier, on n'avoit  
jusqu'icy rien composé de fort considerable  
sur cet Apôtre des Indes, si l'on en excepte  
sa vie écrite en diverses langues. Ce nouvel  
Ouvrage n'en est pas une simple histoire. Il y entre du  
Panegyrique & en prose & en vers, soutenu & relevé  
par une Theologie, à qui l'agrément n'a rien ôté de sa  
force.

†



L'occasion qui l'a fait naitre, est la fondation d'une Eglise faite par feu M. l'Evesque & Prince de Munster & de Paderborn, en l'honneur de S. Xavier, après en avoir fait vœu, s'il guerissoit d'une maladie qui l'avoit reduit à l'extremité. Le Pere Frizon prenant part à la reconnoissance de son Patron, qui survéquit deux ans à ce merveilleux bienfait; & voulant contribuer à la gloire du Saint, a representé dans un grand Poëme & dans quinze Discours tout l'éclat de cet Apôtre du Nouveau Monde. Il y a répandu en même temps avec adresse les louanges du Prince, mais sur tout l'eloge de la pieté magnifique, avec laquelle il fonda la nouvelle Eglise du College de Paderborn, qui se bâtit actuellement, & quinze Missions celebres, parmi lesquelles il y en a une pour la Chine & pour le Japon. Il rend raison dans la Preface du titre de Thaumaturge qu'il donne à S. Xavier. Il le compare à S. Gregoire Evesque de Neocesarée, que l'antiquité a le premier honoré de ce surnom glorieux: & dans le cours de l'ouvrage il découvre une infinité de rapports qu'a son S. Heros avec les plus grands hommes du Vieux & du Nouveau Testament. Entre les autres choses particulieres qu'il fait remarquer, il observe que de tous les Saints il ne s'en trouve aucun, qui ait resuscité tant de morts, ni qui depuis S. Paul ait converti tant d'Infideles.

Cet Auteur fait aussi voir dans toutes ses circonstances la fameuse guerison du Pere Mastrilli, à Naples l'an 1634. & son genereux martyre au Japon 1637. qui furent les effets d'une apparition & d'une conduite miraculeuse de S. François Xavier. Au reste l'Apôtre des Indes n'a pas seulement porté la Religion jusqu'aux extremitez de la terre; mais il est luy même un tres-fort argument pour l'établissement de la Religion: comme on l'a montré en divers endroits de ce livre, & principalement à l'occasion du miracle, qu'on vient de toucher, fait de nos jours, & à la veüe de l'une des premieres villes de l'Italie, & avec des suites si extraordinaires & si éclatantes.





X A V E R I U S  
T H A U M A T U R G U S,  
P O E M A P A N E G Y R I C U M  
A D C E L S I S S I M U M P R I N C I P E M  
F E R D I N A N D U M  
E P I S C O P U M M O N A S T E R I E N S E M  
E t P a d e r b o r n e n s e m ,

*Templi XAVERIANI ex voto Fundatorem.*

**F**ERNANDO partæ monumentum illustræ  
salutis  
Surgit; & inscripto Xaveri nomine, certam  
Herois testata manum, propriumque favorem,  
Sacra Paderbornæ conscendit ad æthera moles.  
Qui nitor ille operis! quantum certamine pulchro  
Materiæque artisque decus! quàm læta superbis  
Omnia collucent opibus, quantasque per aras  
Emicat augusto majestas ardua cultu!  
Ast ego, quæ vulgi teneant spectacula sensus,  
Turritos apices, patulæ testudinis orbem,  
Marmora, & argenti diffusa aurique metalla

A



Nil moror, atque aliis vatam cantanda remitto.  
 Jamque novos templi meditans regalis honores,  
 Vocalem, æternam, phœbeâ in luce locandam  
 Picturam aggredior, virtutum insignia & altas  
 Herois pleno referentem carmine laudes,  
 Diditæque attonitis rerum miracula terris.  
 Ornatum dabit ipse suæ Xaverius ædi.

*a* Accipe, quas, Fernande, sacris ex ordine muris  
 Appendi tabulas, claro miracula templo,  
 Patroni decora ampla tui, pia dona clientis,  
 Blandus ames, variisque expressa coloribus ora.  
 Magnifico dignas agitasti pectore grates,  
 Francisco ingentis voti damnatus, & ipsis  
 Faucibus ereptus lethi: pro munere vivos  
 Rite dicas animi sensus, operosaque signa  
 Ævo transmittis, Princeps, attollis olympo.  
 Splendida quæ tractum Paderæ monumenta per omnem  
 Extuleras, jam mole novâ superasse triumphas.  
 Pars operi accedat tanto, quæ parjete dextro  
 Figatur tabula, haud simplex, neque conscia laudis  
 Unius, & fati pandens præfagia magni.

*b* Nocte jacens fratris haud mollibus, aspera visu  
 Mille haurit simulacra, vago producta teatro,  
 Ac fortis Franciscus obit documenta futuræ:  
 Qualia sæpe legas Divinis somnia chartis  
 Mystica, venturosque procul monstrantia casus.  
 Oceani immensi scopulosa apparet imago,  
 Fluctibus atra tumens, immanibus horrida cetis.  
 Desuper obductus nimbis incanduit æther;  
 Fulguribus piceâ immistis caligine, & undâ  
 Flammâque insanas visus glomerare procellas.  
 Undique naufragia, & ponto sparsæ undique mortes.

*a* Icones, seu Tabulæ Poëticiæ XV.  
*D.* Xaverij clarissimas quasque res complexæ.

*b* Iconum Par primum. Tabula I.  
*Xaverius objectâ sibi divinitus laborum gravissimorum specie exclamat, amplius.*



THAUMATURGUS.

3

Nec minor & terris latè squallentibus horror.  
 Arida, hiulca siti, sævo plaga torrida phœbo,  
 Quà calcanda via & largo sudore riganda,  
 Prospicitur. trans & pelagus desertaque longè  
 Littora, dissimili par inclementia cœlo.  
 Informem nivium aggeribus, glacièque rigentem  
 Ultima se porgit tellus, concretaque acuto  
 Stagna gelu, fluviosque fretis torrentibus actos.  
 Aëriæ insurgunt cautes, vallesque dehiscunt  
 Præcipites: suâque abruptis fumantia saxis  
 Viscera, sulfureosque eructant faucibus ignes,  
 Tartarei ceu dira antri spiracula, montes.  
 Tum rabidæ passim tigres, atque omne ferarum  
 It genus; & rabie ante feras immanior omnes  
 Barbara gens, tetroque Europæ discolor ore,  
 Intentos arcus armataque tela venenis  
 Objicit: & crudos acuunt condensa furores  
 Monstra Erebi, tenebrisque agmen flammisque tremendum.

Omnia quæ vivis per somnum oblata figuris  
 Instant Francisco: premit obvia turba malorum,  
 Atque alia ex alijs mentemque animumque laceffunt.  
 Corde tamen vigilans, nil cunctas ille moratur  
 Terrorum facies: terræque marisque pericla,  
 Infestasque Orci furias, vastosque labores  
 Despectat: nec, quæ cervicibus incubat, Indi  
 Deformis graviorque Ætnæo pondere moles,  
 Magnanimum infregit pectus. Stat dura ferendo  
 Vincere: longinquos jamnunc invadere casus  
 Prægestit virtus: & quanquam oppressus, anhelans,  
*Amplius*, exclamat pater, *amplius*. Æstuat igni  
 Assimilis, nunquam saturo; & quacumque voraces  
 Per segetem rapido, per silvam extendere flammæ.  
 Pastu incensa fames, viresque augentur agendo.  
 Sic inhians visis Heros, sic acrior ardet,  
 Exuperansque avidis portenta minacia votis.

¶ Parjete in adverso templi jam lætior offert

¶ Tabula II.

Xaverius delicijs cœlestibus assuens, in has voces identidem erumpit;  
 Satis est Domine,

A ij



XAVERIUS

Se, Fernandæ, tibi species, & amica reposcit  
 Lumina Franciscus; nocturnâ qualis in umbra  
 Ibat amore pio flagrans, & fervida corda  
 Vibrantesque oculos summo defixus Olympo,  
 Istic sidereas, fulgentibus ordine turmis,  
 Excubias æternæ aulæ, clara atria lato  
 Perlegit aspectu; superæque obtenta Sioni  
 Vela acie penetrans mentis, sacraria cœli  
 Intima collustrat; patriaque in sede tuetur  
 Regnantem, & famulo gratantem plurima Christum;  
 Christiparamque, chorosque omnes atque agmina Divûm;  
 Et jam crebra polo, quâ se Via Lactea ducit,  
 Millia quæ puerum sancto perfusa lavacro  
 Præmississe juvat, niveis in vestibus Agnum  
 Digna sequi, tot virgineæ decora addita pompæ;  
 Ætheriamque novo Solymam impellentia cantu.  
 Felices operæ fructus, cœloque repostos  
 Thesuros, palmasque suas, sua præmia cernit.  
 Numinis interea patiens quàm dulcia miscet  
 Alloquia, & teneris Dilecto amplexibus hæret!  
 O liquida, ô torrens Divini copia sensus!  
 Pura immortalis prægustat gaudia vitæ;  
 Et, *satis*, ingeminat, *satis est*. angusta laborant  
 Pectora, nec cœlum capiunt. Aut tu eripe terris  
 Deficientem animam, penitusque adjuuge volentem  
 Alme tibi Genitor, vel inundans comprime nectar,  
 Talia flammæ blandâ vi concita cordis  
 In cœlum jacula, & vivo se erumpere credas  
 Ore pios inter gemitus, suspiriaque alta,  
 Diductamque sinu tunicam. Sed talibus aures  
 Intactæ dictis: oculos affatur imago,  
 Delicias animi resonans, æstusque beatos.

*d* Exin bisgeminam decorandis adjice muris  
 Effigiem, Princeps, Herois, & inclyta rerum  
 Prodigia. *e* Hic sacras operans Franciscus ad aras

*d* Iconum Par secundum. *e* Tabula III.  
*Xaverius inter sacrificandum, &c. divinitus à terra extollitur.*



## THAUMATURGUS.

Mortalem stat supra: ipso jam corpore terram  
 Spernit, & illapso suspensus Numine fulget.  
 Ille etiam, dum triticeâ, mirabile, Christum  
 Porrigit indutum specie, populoque ministræ  
 In genua allabens, & inaspectabile Numen  
 Infolito velut aspectans veneratur honore;  
 Ipse humilem præsens attollit in aëra Christus.  
 Nec non & silvis, captat dum mystica supplex  
 Colloquia, arcanosque Deo conjungit amores,  
 Exploratori per littora sola repertus  
 Aëre sublimis, radiantiaque igneus ora.  
 Nil terræ ignavo depressum pondere, corpus  
 Ardua mens rapit, ætherias & librat ad auras.  
*f* Altior hinc semet Xaverius, atque Giganti  
 Par, navis per transtra, virum media agmina, sacros  
 Incedit ritus agitans, lustralis & undæ  
 Munera circumfert, animasque piantia verba.  
 Spectant majorem solito, & mirantur amici,  
 Agnoscuntque animi præcelso in corpore formam.  
 Usqueadeo vulgi illa modum supereminet, ingens  
 Illa viri virtus, quam nec capit unicus orbis!  
 More g Giganteo exultans, per utrumque cucurrit  
 Irrequietus agens, nec fulgure tardior, axem,  
 Limite ab occiduo primos Titanis ad ortus.  
 Haud illum rapida æquiparet vi Numinis actum,  
 Qui Pellâ erumpens juvenis, trans Caspia claustra,  
 Trans Nabathæa ruit victricibus arva farissis,  
 Oceanum affectans, superosque invasit honores  
 Post aras vani monumenta erecta triumphi.  
 Herculeas ultra metas Xaverius ipso  
 Emicat ingressu. Non impetus axe corusco  
 Præcipitat solem ferventior: ulla benignam  
 Nec latebra exclusit flammam penetrabilis astri.

*f* Tabula IV.

*Xaverius inter lustrandos baptismo ethnicos ad Giganteam proceritatē exerscit.*

*g Exultavit ut Gigas ad currendam viam Eccl. psal. 18.*

A iij



## X A V E R I U S

Et gentes obitas quisquam, Christoque subactas,  
 Tot dispersa plagis Xaveri grandia facta  
 Includat numeris, cœloque educta trophæa?  
 Tantum anni potuere decem, tantum unicus Heros,  
 Quantum non delecta cohors, non secla facebant!

*b* Atque ea diversas aliusque idemque per oras  
 Franciscus, Fernande, tibi spectacula præbet,  
 Res ubi tranquillæ: medijs haud fecius armis,  
 Inter & horribicos edet miranda tumultus.

*z* Aspicias Ulaten? vallo circumfidet hostis  
 Callidus, averfis & fontibus improbus urget.  
 Nec spes ulla supèr. Sævitur torrente sub æstu  
 Asperior ferro fitis; atque extrema ferentes  
 Victori cives adigit parere superbo:  
 Ni solers urbi irrepens Xaverius, & quâ  
 Auspice monstratur Christo via certa salutis,  
 Regem adiens pluvias invito spondeat æstu.  
 Vix, populo affuso, steterat venerabile signum  
 Crux erecta foro; sudusque repente coactis  
 Nubibus involvi & tenebris felicibus ær.  
 Nec mora; supremo optatos discrimine solvit  
 Ulatæ pereunti imbres gratissima cœli  
 Tempestas, subitæque ruens fatalis aquæ vis.  
 Et jam quem victrix defecit machina, Divûm  
 Auxilio restincta fitis, decedit acerbis  
 Respectans oculis præreptam inglorius urbem  
 Hostis, & infusos alieno tempore nimbos.  
 Ipse autem, mirâ gaudens ope, munera cantat  
 Ætheria Ulates populus; pactasque capeffit  
 Ante Crucem leges, pro libertate dicatum  
 Servitium, placitos & Religionis honores;

*b* Iconum Par tertium.

*z* Tabula V.

*Xaverius Ulaten urbem, quæ sitè ad deditionem adigebatur, pluviam fufis  
 precibus impetrata liberat.*



### THAUMATURGUS.

Præsentemque colit manifesto numine Christum;  
 Cum Rege & lymphis tingi melioribus ardet.  
 Sic adeo, referans cœlum, & pluvialia dona  
 Eliciens, vatem expressit Franciscus Hebræum.  
 Nec minùs ille sacro Thesbiten reddidit ultor  
 Pectora inardescens motu, dum perfida justos  
 Evocat in capita, eventu sed mitior, ignes.  
 Maurica, tu scelerum inventrix; gens effera, & ipsos  
 Impia longævos epulari assueta parentes.  
 Xaveri tamen ipsa pio mansuescere cultu  
 Docta, alacri jam læta seges suavisque colono;  
 Gaudia inexhausto fundebas æqua labori.  
 Ast Tolum, cœleste ausam rescindere foedus,  
 Et Christi violare decus, perfringere signa,  
 Non tulit; infandique exemplum criminis acer.  
 Lusadùm instructis aboleri protinus armis,  
 Et poenas jussit dare barbara corda salubres.  
 Militis exiguus quamvis, populoque feroci  
 Longè impar, validam contra globus impiger urbem  
 Tendebat. Xaveri animos viresque maniplo  
 Addidit hortantis fiducia. Nec sua defunt  
 Præmia virtuti, & speratæ gloria palmæ.  
 Dum supplex movet astra pater, fremit excita tellus  
 Parturiens cladem insolitam; montemque propinquum  
 Concutit, horrifono tonitrus imitata fragore.  
 Illicet auxilijs emissæ ad classica flammæ;  
 Et foedo cineres glomerati turbine, mistis  
 Pumicibus, stravere solum: suffixaque passim  
 Spicula vulnifici præacuto murice ferri,  
 Ac cœcas Toli ante aditus congesta favilla  
 Opprimit insidias; æquatis pervia fossis  
 Mœnia dat, frustra que impostam collibus arcem;  
 Jam summis extant vix propugnacula pinnis.  
 Ergo foedifragam turbam, Christoque rebellem,  
 Aut lapsu obrivit tectorum, urbisque ruina,

k Tabula VI.

*Xaverius precatione excitatis à monte ignibus, terræque motu vehementissimo,  
 Tolum urbem Lusitanis facile capiendam tradit.*



X A V E R I U S

Ancipitive malo pressam terræque animique  
 Disjecit tremor, ac Domini sub jura reduxit  
 Relligionis ovans vindex; vindexque salutis.

*l* Proxima dejectæ rursus monimenta triumphat  
 Inter Barbariæ, simulataque prælia victor;  
 Purpureumque Crucis gestans insigne, cruentis  
 Gentibus insultat. duplices pingentia muros  
 Respondent terrena armis navalibus arma.  
 Hinc Badagas, illinc Acenos, Fernande, furentes  
 Cognosce, & paribus spectandum utrinque trophæis  
 Franciscum, Ducis ætherii sacra bella cientem.

*m* Solus in adversos hostes armataque inermis  
 Agmina procurrit; Travancoridique paratum  
 Exitium, stragemque effuso Marte ferentes  
 Increpuit; validâ stupefactos voce represit.  
 Et meruit, nil tela pavens infesta, timeri,  
 Ore minax, totaque ardentia fulgura fronte  
 Incutiens. Nec vox hominem, nec forma sonabat.  
 Confusam trepidare aciem, retroque ruentem  
 Aspicias; mixta arma armis, collapsaque tela.

*n* Barbaricas idem naves, spoliisque superbas  
 Christicolæ gentis, quàm splendidus obruit ultor!  
 Improvisus, atrox, ferro grassatus & igni  
 Dux Acenùm, savasque minas indignaque probra  
 Jactarat, pavidæ illudens populata Malacæ  
 Littora, succensasque rates: patriasque redibat  
 Successu tumidus prædonum exercitus oras.  
 Attonitos, bellique autor sponsorque triumphis,  
 Scilicet & vates, ingentibus excitat ausis  
 Lusitadas, tenuique manu brevibusque phaselis

*l* Iconum Par quartum.

*m* Tabula VII.

*Xaverius obviam Badagis progressus, hostilem solus exercitum vi specieque divina sistit.*

*n* Tabula VIII.

*Xaverius navalis in Acenos expeditionis suscipienda autor, incensâ supplicatione obtinet prædicitque in concione victoriam.*

Turritamque



THAUMATURGUS.

9

Turritamque sequi pugnaque laceffere classem.  
Jamque procùl vasto concurrunt fluminis alveo  
Adversæ inter se partes, densæque carinæ,  
Dum Pater augustæ montanam Virginis ædem  
Supplicibus celebrat votis, absensque sequaci  
Mente juvat Christo devotam in bella Cohortem.

Rite Malacensem divina ad pulpita cœtum,  
Sollicitos mulcens animos, orator habebat.  
Ecce autem pugna ante oculos, & vivida rerum,  
Intus agente Deo, species: picturaque motus  
Quàm varios animo, varios ciet ore colores.  
Ceu nova deprensens, stupet, ac sermone resistit  
Incepto: fixusque, crucique aspectat in æde  
Confixum mediâ Christum, jam non suus, acto  
Longè animo; penitusque aliena, ignota, coronæ  
Suspensæ canit, & miris vera implicat umbris.

Quanta per undosum moles se se invehit amnem,  
Tempestaque virûm, tormentorumque procella!  
(Exclamat.) Christi auspicijs interrita corda,  
Ite, agite, ô fortes, Crucis ô vexilla secuti.  
Tuque adeo, frange, Armipotens, frange hostica tela;  
Eripe consilium, vim protere. Vulnera, JESU,  
Ad tua respiciens, sacram tutare Cohortem.  
Impia, crudelis, vesano turgida fastu,  
Criminibus gens lata novis, te te illa, tuosque,  
Christe, odijs armisque furens petit, ecce, clientes,  
Conjurata pios Indorum excindere cultus.  
Surge, Deus; causam ipse tuam, tua bella capeffe.  
Irrita sacrilegæ nubes & machina partis  
Detonet; excussus temerè nec perferat ictum  
Vimque pilarum ardens letali sulfure turbo:  
Extinctus fluvij pereat stridentibus undis.  
Quam bene librato prætoria saucia jactu  
Mergitur! At proceres (& o quis caput ille coronâ  
Præcinctus?) medio luctantes gurgite volvi;  
Vicinæ trepidare rates. Væ, barbara turba,

*o Rex Pedavis, Acena Classi Præfuit.*

B



Uni intenta duci, procerumque urgente periclo;  
 Immemor ipsa sui, certatim incauta laborat.  
 Excipere adnantes, obstructoque amne carinas  
 Obliquas præbere. En, ut subeuntia velis  
 Navigia incutiunt sese! longo agmine prora  
 Puppì inflicta hæret. Perge, & trepidantibus instas;  
 Turbatè, inter se implicitæ classi irruer, miles;  
 Verbera congemina candentum & athena globorum  
 Fulmina; virtuti cedat furor, impetus arti.  
 Naufragio latet unda, rubet spumosa cruore:  
 Funereas fluvio atra rotant incendia nubes:  
 Aëre mille necis formæ, pelagoque vagantur.  
 Membra simul, simul arma virum truncata, per auras  
 Pèrque undas ferri video. Silva horrida, mali,  
 Fragmentis transtrorum, abruptis carbasa tonsis  
 Mistra natant. Bombo assiduo, clamore, tumultu  
 Personat, & tantis dissiulat motibus æquor.  
 Vince, animosa Cohors, cui pugnas, Numine freta  
 Vince Deo; Christi que memor, felicibus armis  
 Sacramentum ingens & non violabile fanci.  
 O acies! ô grata piæ spectacula cædis!  
 Ah, ne Christiadas numero tamen obruat hostis.  
 Bellipotens prohibe Genitor: túque, optima Virgo,  
 Præsidio tege, Diva, tuos, scutoque corona,  
 O Domina, ô Victrix, Natumque inflecte precando.  
 Atque hic illacrymans fractâ inter-voce-quietescit.  
 Tum jactatâ super demittens brachia fessum  
 Suggesti extremâ spondâ caput acclinavit.  
 Dein, collecto animo, placidus læta extulit ora,  
 Nec jam obscura sonans, & certa oracula fundit.  
 Vicinus ultorem persensit Barbara Christum  
 Gens, ait; & tenui nostris palma empta cruore.  
 Quique hanc insanis percussam viribus urbem  
 Tentare assultu nuper, ferro ausus & igni,  
 Funditus opetijt: nec tantâ è clade superstes  
 Nuntius innumeris Aceno de millibus ibit.  
 At vobis parti decoris certissimus autor  
 Mox aderit; prædâque gravis, divesque triumpho



THAUMATURGUS.

II

Classis in optatos referet se proxima portus.  
 Jam meritas Christo læti persolvite grates.  
 Talia præcinuit vates: sed reddere Apellis  
 Ars nequeat dias vatis, Fernande, loquelas.  
 Quod licuit; viden', ut sacro pendentis ab ore  
 Concilij arrectos diffundant gaudia vultus?  
 Parte aliâ, velisque tumens signisque refulgens,  
 Publica Lusadùm cura, & victricibus armis  
 Classis ovans, longo captas agat ordine puppes?  
 Obvius amplexu, templo digressus ab alto,  
 Excipiat reducem Mystes, doceatque catervam,  
 Quem cruce protendit sublatum dextera Christum,  
 Suppliciter colere; &, felix cui debita virtus,  
 Exuvias Acenùm pompamque dicare triumphî?

*p* At nos ipse suo dudum Xaverius œstro  
 Corripuit, sacrâque volentes abstulit aurâ.  
 Belligeri moles operis, divina viri mens,  
 Plurimaque eloquii tenuit cœlestis imago.  
 Nunc varia indicio, quamvis & grandia, Princeps,  
 Signemus brevior: virùmque evicta per undas  
 Arma, ipsius atrox ponti vis fracta sequatur.

*q* Ut freta jam cœlo assultant, jam fracta revolvunt  
 Sese erebo! confusæ undę pontique polique:  
 Extincto merfa astra die; feralibus umbris  
 Omnia inhorrescunt: fragor undique, & undique plangor.  
 Crebra, invisa, minax, nimborum intermicat atro  
 Flamma globo. Obnixos videas, & cardine ab omni  
 Effrænos rapido bacchari turbine ventos;  
 Atque ipsum credas convelli à sedibus orbem.  
 Stat medios inter fluctus, atque imperat undis;  
 Nutu bacchantes frænat Xaverius Euros,  
 Nubila dispellit cœlo, lucemque reducit:  
 Composito ridere simul visa omnia mundo.  
 Sive illisa vadis, scopulisve impacta carina;

*p* Iconum Par quintum.

*q* Tabula I X.

*Xaverius mari imperans.*

Bij



Solvit inhærentem saxisque & syrtribus alnum?  
 Seu scapha ludibrium furibundæ abrepta procellæ?  
 Ipse, vehens navi, cymbam regit: ipse vehentes  
 Unâ absens præsensque levat linguæque manusque  
 Præsidio; certoque biremim limite flectit  
 Per tumidos latè fluctus, navique reponit.

Quid, quòd & incolumem, diffracta ubi puppis, amicum  
 Promisso dedit, & fidâ servante coronâ,  
 Quam rosa Virginei contexit Olympia cultûs?  
 Franciscus placitum casti gestamen amoris,  
 Nectere quam collo, Marianum insigne, coronam  
 Assiduus; pignusque sui, nec-inutile donum  
 Tradiderat, Regum cui cesserit aurea torquis,  
 Et quæ amens inhiat baccata monilia luxus.  
 Nec quenquam prædicta salus, spes hausta fefellit;  
 Oceani quando securos pergere nautas  
 Jussit, & invalidæ merces committere navi:  
 Credere nec dubitant in aperta pericula vitam.  
 Quin fragilem, & cursu quassam, putrémque senectâ?  
 Præstite Francisco, quærunt conscendere puppim.

Quid referam vel compulsos in retia pisces,  
 Depullas vel rure tigres? queis, nocte cruentos  
 Excursus latè infestas agitare per oras  
 Assuetis, ultro occurrit; sacroque ferinum  
 Rore gregem lustralis aquæ pius expulit Heros.  
 Sancia jam respirat abactis insula montibus.

⁊ Xaveri tacitos etiam sensere dolores,  
 Jacturam & sarcire novo didicere natantes  
 Obsequio. Testis Moluca per aquora Cancer.  
 Cernis, uti emergens vicina ad littora certum  
 Tendit iter, chelisque elatam sustinet uncis  
 Effigiem appensi Cruce Numinis? Una voluptas,  
 Una viro tutela, & acerbis gloria probris  
 Hæc erat. Hanc pronus, nautas turbante procellâ,  
 Dum pelago intingit, manibus violentia lævi  
 Turbinis abstulerat, mediisque immerferat undis.

⁊ Christi crucifixi effigiem in mare delapsam à Cancro recipit.



### THAUMATURGUS.

At desiderio moerentem, & multa gementem  
 Solatur famulum Dominus, cancrumque profundo  
 Excitat, amissum referat qui pignus amanti.  
 Ergo ubi vix tanto ereptus discrimine portum  
 Attigit, & solâ Franciscus inambulat actâ,  
 Respectans pontum immensum, damno ægra recenti  
 Corda gerens; videt optatum consurgere signum  
 Paulatim, & cari vectorem appellere signi.  
 Quis, Francisce, tibi subita ad spectacula sensus!  
 Quàm pia lætitiæ perfudit copia mentem;  
 Cùm tu signiferum æquoreum, quem Numen agebat;  
 Te petere, & placidum coràm immotumque videres  
 Expectare, sacrum tollat quæ dextera pondus!  
 Extemplo genibus pelagi subsidit ad oram  
 Ipse, comesque adstans lateri; oblatumque benigni  
 Suppliciter donum excipiens Genitoris adorat,  
 Complexuque fovet, delibatque oscula Christo.  
 Jam, chelas postquam laxavit sponte tenaces  
 Cancer; onusque suum, Divinum & pignus amicis  
 Deposuit palmis, undosa in tecta recessit.  
 Deliciæ ipsa viro, & magni Crux muneris instar.

*f* Annuit, egregioque indulfit largus amori  
 Herois, Pater omnipotens; & fortia duro  
 Providus exercens firmavit pectora casu.  
 Grandibus ostentis pelagi, quæ plurima dexter  
 Effinxit paries, adversam conspice partem  
 Delubri, Fernande, tui, dignumque theatrum  
 Spectatore Deo, & Superùm plaudente senatu.

Naufragus Oceano, terni dum tempora solis  
 Transferint, latè horrendis agitata procellis  
 Continuâ sub nocte secat freta. Nil tamen Austri,  
 Nil, spumante salo quæ mille natantia monstra  
 Prædæ inhiant, movère virum. Sedet assere nudo,  
 Ac pelagi immenso fervens Xaverius æstu  
 Volvitur, assiduaque undarum aspergine rorat.

*f* Tabula X.  
*Xaverius naufragus*



Haud major liquido Alcyoni pax aequore constat,  
 Quæ nidum in tenuem & mollem composita latebram  
 Fertur aquis, dum blanda favet natura volucris,  
 Lenes adspirant auræ, pura æthra nitescit,  
 Astraque marmoreo rident geminata profundo.  
 At mediâ tranquillam Herois corda quietem  
 Tempestate fovent. animum defixit Olympo  
 Certa Fides; tutoque velut jacta anchora portu,  
 Inconculsa hæret spes & fiducia Christo.

Jam summis pendens præruptæ montibus undæ  
 Sidera contingit, cœloque appellere gestit:  
 Jam barathro præceps, immani gurgitum hiatu,  
 Ad manes ruit, ac stygio propè mergitur Orco:  
 Conscia nec tali intremuit discrimine virtus.  
 Ventorumque inter fremitus, tonitrusque polorum,  
 Fulminaque, & cæco confusa elementa tumultu,  
 Dulcia divino vibrans suspiria amore,  
 Imperium æterni majestatemque Parentis  
 Pectore miratur securo, & cuncta cieri  
 Numine gratatur; nutu maria alta supremo  
 Attollique præmiquæ, & fræna audire procellas.

Sic fruitur mens sacra Deo, gaudetque periculo;  
 Nec circumfusâ revocari à morte precatur,  
 Ni gravior maneat casus. Majora pericla  
 Provocat, & votis ardens audacibus ambit.

‡ Quæ nova se rerum, Princeps, quot constita palmis  
 Scena aperit! u tristes passim, foeda agmina, morbi  
 Diffugiunt, quacunque opifer Xaverius instat;  
 Implacidis febres ardoribus, ulcera, tabes,  
 Dira lues, tetro maculosum sanguine virus.  
 Præonias agris non ille inventa per artes  
 Pocula præbebat; sed quæ manantia tabo  
 Membra vel aspectu horrificant, complexus, inharens;

‡ Iconum Par sextum.

u Tabula XI.

*Xaverius morborum, Daemonum ac mortis Victor.*



THAUMATURGUS.

79

Pleno avidus sanie ore bibit. Proh nectare dignam  
 Ætherio linguam! miro securus amore,  
 Queis virosâ fovens absterferat ulcera, lymphas  
 Hausit, & ardenti medicans noxam abstulit haustu.  
 Nam tali supplex quam non Xaverius ore  
 Depositis exoret opem, placabile Numen  
 Flectere amans, meritisque salutem accersere tantis?  
 Ipsi etiam Stygiâ immanes ditio tyranni,  
 Corpora queis hominum furiali stringere nexu  
 Posse datum est, Francisci artes viresque tremiscunt.  
 Nec tantum infernos valuit contundere fastus  
 Dextraque voxque viri; sed tactu quidquid & usu  
 Imbuerit, telum non eluctabile præstat:  
 Ac pueris, arma intentant utcunque magistri,  
 Ludibrio rabiem victi dat habere draconis,  
 Splendidius gaudens hosti insultare superbo.  
 Quot temere projecta solo simulacra Deorum;  
 Indorum Pagodum, Japonum Xacæque Amidæque,  
 Trunca jacent, cultusque profani obtrita supellex!  
 Mors quoque Francisco abruptam summittere falcem;  
 Reddere victori pallentes cogitur umbras,  
 Exanguesque artus, & jam composita pheretro,  
 Jamque elata domo, vel condita membra sepulcro.  
 O quoties dextram senserunt funera, sortis  
 Extremæ dominam, vitæque potentia verba!  
 Stant oculis circum defixa animisque corona,  
 Hic Paravi, hic Japonæ, turba hic conferta Malacæ;  
 Mortuaque ad lucem revocari corpora gentes  
 Obstupere. premit vocem stupor altus hiantum,  
 Tollentumque manus, invisæque facta paventum.  
 Conscia nunc demum, Fernandæ, hic corda moveri  
 Haud dubites, antè implacidi, magnoque rebellis  
 Francisco populi, & coelestia dicta negantis  
 Auribus atque animis divina admittere jura.  
 Nunc aliis, visu attonitis, æterna pheretro  
 Parta salus; aliis tumulo vita orta recluso est.  
 \* Contra deserto moriens in littore egenus,

\* Tabula XII,  
*Xaverius moriens*



Ramalique casâ, Boreæque expositus & imbrî;  
 Stramine vix duro fultus languentia membra,  
 Decumbit mœstâ, heu, tabula Xaverius: igni  
 Correptus pariter gemino, & confectus anhelat.  
 Altera flamma animum, corpus flamma altera carpit:  
 Illam amor, hanc febris succendit; & intima sævit  
 Utraque vis, mortique operam connixa ministrat.  
 Ah, quibus invalidus votis exæstuat heros!  
 Singula quæ largo potuissent oppida fructu  
 Non illaudatos almi satiare satores  
 Eloquii; Goa, Cocinum, Madura, Cananor,  
 Meliaporque, Tidorque, Malacaque, Mindanaumque;  
 Saxuma, Amanguciumque, & quo non lætius uber  
 Concepta arrisit Fidei post semina, Bungum,  
 Totque aliæ sanctis excultæ moribus urbes;  
 Primitiæ tantùm hæc avido simul omnia visa  
 Francisco, levia optatæ libamina messis.  
 Nimirum & solidæ, tot barbara nomina, gentes;  
 Non Malabar, non Molucus, Jaique Malaique,  
 Atque Acenûm regio, atque omnis Gangetica tellus,  
 Taprobaneque, Ophireque, Macazarique recessus;  
 Nec Japonum, Christi imperio jam obnoxia, regna;  
 Mille, prius Fidei intactæ præconibus, oræ,  
 Xaveri flagrans & inexsaturabile necdum  
 Explerant operæ studium cælestis, & ultrâ  
 Semper anhelantes animos, immensaque vota.  
 Tantæ nil actum congesto frugis acervo;  
 Tot centena virûm jam sacris millia caulis  
 Addita, nil ratus; & Sinarum intentus agebat  
 Quærendis Christo populis; atque omnia tentans;  
 Carceris ac lethi sitiens, pia furta movebat,  
 Hospiti inaccessos audax transcendere fines.  
 Sinica quin etiam claustra emolitus, Olympo  
 Mille alias raperet gentes, ignotaque regna;  
 Lustraret rapido igne polos, maria alta remensus:  
 Prodigiumque ingens Europæ redditus Heros,  
 Quò Loiola parens alium revocabat in orbem,  
 Iret per medias latè venerabilis urbes,

Undique



THAUMATURGUS.

17

Undique concursu celebratus & undique plausu :  
Hesperiaëque suæ, jam noto major, amica  
Subsidia, & numen præsens Oriente referret.  
Occurrit vastis properata laboribus, & spes  
Abrupit mundi, toties Mors antè fugata.

Sola adeo metam Heroi Mors, ultima rerum  
Linea, præfixit. Post tantos ille laborum  
Decursus, primo ceu carcere grandia cœpta  
Rursum agitans, gemitu Sinarum limina pulsat.  
Sed frustra. cadit antè aditum Cantonis: ut olim  
Terræ in conspectu Moses, quam propter, Erythræ  
Transmissumque fretum, & tractus squallentis arenæ,  
Totque viâ exhausti civisque hostisque furores,  
Sancia Franciscus moriens sic littora pressit.  
Et nunc illa silet, miseris quæ lactea lingua,  
Fulminibusque potens eadem terrere superbos.  
Brachmanas, fraudum artifices, & Bonzia fudit  
Agmina quæ toties docto certamine victrix;  
Atque uno, simul instantis diversa, catervæ  
Quæsita exolvit responso insignis; & omnes  
Una sonans claro collectas munere linguas;  
Pandere & arcanos sensus casusque futuros  
Certa, silet. Quis jam populis cœlestia jura  
Proferet, aut morbos furiasque expellet Averni?  
Quis tempestates inimicaque tela refringet?  
Occidit, heu, Christi præco, interpretique salutis  
Gentibus, & vili infoditur neglectus arenâ.

Parce tamen, Fernande, graves agitare querelas,  
Neu molli nimum sensu miserare jacentem,  
Ægrum, expirantem; medicæ nullum artis opisque  
Solamen; tenues, victus in munera, baccas.  
Haud tua te fallit pietas, quæ conscia mentis  
Ætheriæ, fortes patrio exercentis amore.  
Invidiâ nec cœlum oneras. non casus agit res:  
Certa, Deo caras, proprio fors ordine vitas  
Et mortes fors alma regit. Proh Numinis alta  
Consilia, ancipitesque viæ! miratus adoras,  
Credo equidem, Princeps; & quæ non debita fata;

C



Non indigna tamen Francisco agnosce fateris,  
 Providus ista suo moderatur numine Christus,  
 Visus & ipse graves famuli sentire labores;  
 Ipse laboranti similis, sudore cruento  
 Quadrifidi signi; patria conspectus in arce  
 Xaveri; duram quoties Oriente repostus  
 Ille crucem, insudans operi, pro laude subiret  
 Principis æterni, vivo confixus amore.  
 Sanguineam optarat votis, terraque secutus  
 Oceanoque necem: mortis solatia sicca  
 Proxima, desertus, tugurique in pauperis algâ  
 Abiectus tulit, & tacito consumptus ab igni.  
 Hoc genus addeciuit lethi: stadioque laborum  
 In medio, tanti sacro moliminis æstu,  
 Pulchrum & dulce mori, vitamque impendere **CHRISTO:**  
 Nec verò ingratâ nautarum à plebe relictum  
 Destituere chori Superum, quos ille potentes  
 Terrarum Genios, vigilesque à Numine regnis  
 Præfectos, digno implorans celebrarat honore,  
 Adfuit Aligerum cœlo delapsa caterva:  
 Et quem virgineo florens in corpore virtus,  
 Parque ministerium, atque humanæ agitata salutis  
 Curâ virum sociat, morbi solantur in æstu,  
 Franciscum puræ circumstant undique Mentes;  
 Ambrosiæ invergunt laticem. Spirabilis Ardor  
 Et Patris & Nati moribundum animavit; & aurâ  
 Vatem afflans solitâ, diras torquere minaces  
 Funestosque dedit juveni prædicere casus.  
 Nec tu, Diva y Parens, addictum oblita clientem,  
 Suffixique animam Christi exhalavit in ulnas;  
 Turicremæ in cœlum qualis vapor evolat aræ.  
 At neque pro Sinis fusi periere labores.  
 Si non hospitibus valuît regna invia, Christi  
 Legatus, penetrare, piove obrepere furto;  
 Jam cœlo exceptus, precibusque urgere Tonantem

y Sub mortem Xaverius has identidem voces emittebat;  
 Mater Dei, memento mei.



Assiduus, tandem referare impervia claustra  
 Evaluit sociis vestigia magna secutis,  
 Rumpere & intextos scopulis & montibus æquos  
 Imperii muros, aulamque aperire Pequini,  
 Et latè populis sacratam indicere legem.  
 Tu consors, Fernande, operis; tu fortia corda  
 Instruis aeterno regalis munere sumptûs,  
 Xaverique tui coelestia perficis orsa;  
 Indorum, Japonum, Sinarum instare saluti  
 Fervidus: extremæque canent tua nomina gentes.

ꝛ Nunc age, littoream, Princeps, repetamus arenam  
 Parte in diversâ muri, spatioque supremo,  
 Raptim ubi congesto Xaveri cespite corpus  
 Decubat, & justos elatum poscit honores.  
 Non tamen omnino immemores, ubi solvere nautæ  
 Instituunt; terræ mandat pignus, edaci  
 Calce superjectâ, invisunt, nuda ossa parantes  
 Reliquiasque auferre, Indis carissima dona.  
 Ecce *a* autem glebâ emotâ, capuloque relecto,  
 Insperata, ingens sensusque animosque tuentum  
 Occupat ostenti species, nil corpore læso,  
 Nil habitu. Gratâ felicis imagine mentis  
 Enituit spirans coelestia gaudia vultus.  
 Cuncta exploranti respondent integra dextræ  
 Succus habet solidos artus: insicta cruorem  
 Plagula tentanti purum exhibet: ipsa quieti  
 Mors placidæ assimilis: tum qui fragrantia vincant  
 Balsama, divini membris efflantur odores.

Ergo omnes ruere in sacras, queis debitus æther,

ꝛ Iconum Par septimum.

*Xaverii posthuma, æternaque Gloria.*

Tabula XIII. *Honores à Deo & hominibus in India cæloque redditi mortuo S. Apostolo.*

*a* *Ejus Corporis, humo bis conditi vivaque calce operti, integritas mirabilis & fragrantia: ab eodem terra mariquei diffusa miracula; atque ipsi cultus exhibitus, Goæ præsertim.*



Communis patris exuvias; mistoque dolore  
 Lætitiæque, preces justasque expromere laudes;  
 Multa inculcantes sese, aspectabile mentis  
 Virginæ merito corpus mirantur, & ultro  
 Omnibus attritum pœnis innoxia membra;  
 Quin etiam ferrato alienas verberare noxas  
 Assuetum luere, & largos dare sanguinis imbres.  
 Et vos. ô palmæ, labris petière, ministras  
 Tantorum expertas operum; seu corpora sancto  
 Ægrâ procuraret contactu; animasve piaret,  
 Sæpè, salutiferâ populos dum spargeret undâ,  
 Viribus exhaustus, longique tenore laboris  
 Deficiens. Vos ore premunt, vestigia, & candor.  
 Queis niveus, merces immenso reddita cursu est;  
 Pontificis Christique alacer quo Nuntius almam  
 Numinis Eo pacem circumtulit orbi.

Mox, vitæ instar habens, molle & tractabile corpus  
 Exportant; rursusque injectâ calce, perennis  
 Prodigii quæ materies decorisque, carinâ  
 Dulce onus accipitur, pretio nec inane vehendi.  
 Sinicus, horrificis creber sævire procellis,  
 Agnovit dominum Oceanus, posuitque furorem;  
 Substratis veneratus aquis imperdita letho  
 Jura viri, & majus, vecti super æthera, regnum.  
 Atque exin didicere feri mitescere fluctus;  
 Nec typhon solitas ciet acto vortice clades.  
 Jamque volans placido tranquilla per æquora flatu;  
 Sacra Malaceni subiit ratis ostia portus.  
 Aspicias effusos, Princeps, ad littora cives?  
 Ut, quæ transversas nuper vesania mentes  
 Egerat infandi cœco Prætoris ab æstu,  
 Sponte suâ damnent; vivoque illata parenti  
 Dedecora, eximio redimant in funera cultu?  
 Atra lues dudum, Xaveri haud vana minantis  
 Discessum excipiens, sceleratam juvaserat urbem;  
 Et populum depasta fames: nunc sospite mitis

Quam speciosi pedes evangelizantium pacem! Rom. VI 11. ex Isai. LI 1. c.



THAUMATURGUS.

21

Xaveri adventu fugit utraque. rupta sinistro  
Dissidio, jam facta novis stat gratia donis.

Sed vocat ulterior cessantes India cursus.

Una tamen senio puppis carieque peresa  
Præbet iter. Felix nimium, quæ corpore Divi  
Imposito secunda natat! jam pignore tanto  
Cœli obstricta fides: præsens tutela reperta est  
Hospitio, cultusque pii jam præmia constant.  
Sponte fatiscentem laxâ compage carinam  
Quippe suum servavit onus: discrimine summo  
Bis trepidam eripuit, mediaque à clade reduxit.  
Vel temere brevia invecam, penitusque tenaci  
Impressam, hærentem, cumulo disclusit arenæ;  
Exciit & tales violentum flamen in usus:  
Vel rupi incussam cœcæ, clavoque revulso  
Affixam expedit productum in transtra, saloque  
Et cœlo ostensum Indigetis venerabile corpus;  
Omnis cui circum lacrymisque effusa caterva,  
Supplicibusque ardens sternebat corpora tædis.  
Tum fragor auditus, quo discedentia apertam  
Saxa dedere viam: tormento quantus adacto  
Fit sonus, ærato cautes ubi discessit ictu.

Hinc ratis explicuit Baticala ad littora cursum:  
Quæ simul ac pignus, gazâ pretiosius Indâ,  
Reddidit, immotas ultrò subsidit in undas;  
Quo steterit, male-firma atque huic obnoxia sorti,  
Præsidio, nunc maturâ confessa ruinâ.

Et jam Fama Goam antevolans (statione sacratâ  
Dum sedet, & justî emeritum sollennia corpus  
Funeris expectat) non pullo sordida velo,  
Luctifonâ stridente tubâ, nigrantibus alis;  
Candida sed chlamydem, vibrantes aurea pennas,  
Et læto vulgum ac proceres clangore ciebat,  
Mira canens: magni exuvias Oriente relatas  
Xaveri; vivâ bis opertum calce, bis altâ  
Pressum corpus humo longos ex ordine menses.  
At neque sarcophago exesum, nudâve repostum  
Tabernaculum ullam traxisse ab humo, penitusque beatâ



Morte recens visum; placidi vel imagine somni,  
 Sanum incorrupto nitida sub vestis amictu.  
 Nec semel & sincerum, & odorum membra cruorem  
 Manasse; ambrosios coeli spirare vapores;  
 Oraque fiderei formâ increviffe decoris.

His addit varios emensa per æquora casus,  
 Ereptamque vadis fragilem scopulisque carinam;  
 Corporis advectu pestemque famemque Malacâ  
 Expulsam, & fractos vicina per oppida morbos.

Talibus ut patulas dictis Fama imbuat aures,  
 Queis animos totamque incendit motibus urbem!  
 Idem omnes cœlo rapit incitus ardor ab alto  
 Patris in occursum. cupidas Xaverius implet  
 Lusadûm, Indorum mentes. Spectata recurvat  
 Forma viri, cœleste decus; virtusque laborque  
 Nocte, die, incumbens operi: queis carcere clausos,  
 Queis inopes, ægros, mediaque in morte jacentes  
 Foverit officiis: servos amplexa benigno  
 Cura sinu; rudibus doctrina impensa puellis;  
 Blandaque, & asperfo gravitas condita lepore.  
 Ignea vox, per templa sonans, per compita JESUM;  
 Urbe repurgati mores; gentisque profana  
 Millia quot numero haud licitum comprehendere, Christo  
 Subdita; nec mundi contentus limite fervor,  
 Post Japonas Sinarum avidus perrumpere vallum;  
 Vaticanis sermonis honos, miracula rerum.  
 Nunc ipsos cuncta ante oculos glomerata relucet;  
 Corda pio inflammant celebrandi Herois amore.

c Ocyus instructis procurrit fervida lembis  
 Hesperium indigenumque manus, lectissima turma:  
 Remigioque instans, augustum visere corpus  
 Accelerat, primaque Goam deducere pompâ.  
 Tercentum numero Proceres vicina capeffunt  
 Littora. Non sumptis atrum lugubribus agmen,  
 Sed nitidus gemmis, auroque insignis & ostro  
 Incessit flos ille virum: festoque paratu

c *Funus Triumphale. Pompa Goana multiplex.*



THAUMATURGUS.

Dulces exequias, & non lacrymabile funus;  
 Supremos & more novo meditantur honores.  
 Virgineo appulsi postquam coluere sacello  
 Exanimem Franciscum, aucti pietate clientes;  
 Littoreâ efferrî cernas statione, petitem  
 Regali & circum facibus radiante phaselo.  
 Hinc atque hinc, dextrâque novem, totidemque sinistra  
 Navigium pictâ comitantur classe biremes.  
 Quæ superinvehitur claris distincta manipulis  
 Nobilitas, sacrâ micat ambitione colendi  
 Indigetis. Puro flagrantem lumine ceram  
 Strinxit quisque manu: faciemque imitantur Olympi,  
 Concentus referunt; lapsu dum signa canoro,  
 Nocturnæ liquidâ spatiantur lampades aethrâ.  
 Ordine cuique sonant sua carminis arma biremi;  
 Cum citharisque chorus vario modulamine vocum  
 Cuique suus: læto responsant littora cantu.  
 Ipse inter medios, pompæ caput, ire phaselus  
 Altior, atque oneris tanti se efferre videtur  
 Sensu lætus ovans, subter-plaudentibus undis;  
 Vexillisque tumens leni fluitantibus aurâ,  
 Totus inocciduis latè funalibus ardet.  
 Attalico instratum, procul & spectabile corpus;  
 Divitis umbellæ conopeique superbi  
 Accenso tædis juxtâ rutilantibus auro,  
 Eminent extractum puppi. Splendent freta longa  
 Flammarum tractu, placidas formosa per undas.  
 Quâ se classis agit, tremulâque à luce reident.  
 Jamque Gox innumero collucet portus ab igni.  
 Huc, studiis incensa, omnis ruit undique turba;  
 Ut festo sonitu delubra per omnia signum  
 Aëriis dederant crepitantia turribus æra,  
 Cùm pelago adveniens erectæ apparuit urbi,  
 Stellataque sacer præfulgens classe phaselus.  
 Ipsam adeo gestire putes, Divoque propinquo  
 Exultare suis emotam sedibus urbem.  
 Morborum neque vis ægros, aut cura pericli  
 Tardavit. Jam strata alacres, jam tecta relinquunt;



X A V E R I U S

24

Xaveri aspectu certam petiere salutem.

Advena nec civi, neque vulgo segnius ibant  
 Purpurei proceres: & inundant littora gentes,  
 Ore, habitu, linguâ variâ. tamen omnibus una  
 Vox populis, Franciscus, & altæ publica laudis  
 Materies: neque Lusitæ jam crebrior ipsi  
 Ingeminat, quàm vel Mogori, Sinævæ Arabive;  
 Quos & cunq̃ue Goam regnis commercia Eois  
 Undique concivêre. Sonat Franciscus ad auras;  
 Franciscus terras, Franciscus personat undas.  
 Multi etiam, quibus impatiens pia corda cupido  
 Extimulat, dum lentæ impellunt marmora tonsæ  
 In numerum, pompæque operosæ fercula ducunt,  
 In freta profluere, sacram affectante biremim,  
 Prensatamque semel, porrò affectante natatu.

O mihi si tantos animorum effingere motus,  
 Aut tabulâ, Fernande, aut fas æquare camoenâ!  
 Eminus, Oceano quàm longè intendere aperto  
 Sese acies potis est, oculis inhiantia corda  
 Sideream ardebant puppim; votisque vocabant,  
 Metiri spatia aspectu, remosque morantes  
 Increpitare avidi, plenoque effervere portu.  
 Ast ubi littoreæ propiùs jam allabitur oræ;  
 Pars humiles procumbere humi, pars currere in undam;  
 Obvia supplicibus protendere brachia palmis;  
 Dulcibus & lacrymis passim laudesque precesque  
 Miscere; & facibus gestatis æmula corda,  
 Corda pii sensu flammata liquefcere amoris.

Tandem ut depositum puppi stat corpus ab alta;  
 Tum verò agglomerans toto se littore turba  
 Fundere, compressa, obluctans, contingere sacrum  
 Certantes manibus raptim labrisque pheretrum.  
 Haud alia est facies vento incumbente natantum  
 Camporum, alterno messis cùm impellitur æstu:  
 Quotque maris, tot agunt populi se ad littora fluctus.  
 Ac ni condensam immissus vim denique miles  
 Vi perrumpat, & innocuis prætorius armis;  
 Mille inter sese collisa obtritaque faustam

Corpora



Corpora funestent lucem. Discussa frequenti  
 Turba satellitio, primoque à limine portus  
 Vix demum laxata via est, spatioque recluso  
 Cœpta per adstantes populorum utrinque catervas  
 Augustæ series duci longissima pompæ;  
 At non funeræ: nec pars vacat ulla dolori;  
 Lataque magnifico splendescunt omnia cultu.  
 Corporis elati, comitumque ornatus, & urbis  
 Forma triumphalem ostentat clarissima pompam.  
 Quos patriâ amplexus curâ Xaverius olim  
 Foverat, Indorum sobolem, pietatis alumnos;  
 Ingenuâ pueri turmâ, candentibus apti  
 Vestibus, anteibant: consertas flore coronas  
 Frontibus, ac dextris oleas gessere virentes;  
 Zachariæ modulis carmen retulere tenellis.  
 Argento vexilla dehinc vibrantia & auro  
 Suspice. Francisco acceptos duxere *d* Sodales,  
 Prona malis tangi miserum, & succurrere corda.  
 Tum queis Religio pariter nomenque decusque  
 Addidit, & vario propriam discrimine sortem,  
 Compositos duplici videas incedere versu.  
 Mox alii, quotcunque aris Christoque ministros  
 Sanctior addixit ritus, sollennia festis  
 Albati inferiis celebrant, cantuque sonori.  
 Candida sic coelo procedunt agmina, pallas  
 Lacteus ætherii sanguis postquam abluit Agni.  
 Jam pompa in media carum & venerabile pondus  
 Subvectant Ignatiadæ, sublime pheretrum;  
 Aureaque indutum Phrygio velamina textu.  
 Ponè subit pietate gravis, qui legibus Indos  
 Frænat Lusitânùm *e* Prorex & fortibus armis,  
 Xaveri egregio fervens Noronia cultu.  
 Quem sagulis telisque cohors insignis euntem  
 Stipat; & affusi Proceres, exercita bello  
 Turma ducum, &, pacis queis credita cura, sequuntur

*d* Sadalitium misericordie.

*e* Alphonsus Noronia pro-Rege Lusitanie.

D



Civiles rerum, trabeata caterva, Magistri.  
 Omnes, quam longus pompæ sese explicat ordo,  
 Accincti facibus. Goa jam fulgoribus ardet,  
 Concurſu fluitat populorum: obverſaque portu  
 Mœnia, turritæ ſpeculæ, tecta alta laborant,  
 Arctatæque viæ ſtipatis undique turbis.  
 Cuncta nitet facies urbis, pictiſque fenestras  
 Et tractus murorum ornant decora ampla tapetis.  
 Frondibus omne ſolum & conſtratis floribus halat:  
 Miſſilibuſque roſis irrorant deſuper ædes;  
 Corporis & ſacri, dum compita luſtrat, ovantem  
 Latè puniceis aſpergunt imbribus arcam.  
 Nec minùs & crebris adolent ſuffitibus auras,  
 Turæque odoratas volvunt & cinnama nubes.  
 Sed qui jugis odor, nullaque imitabilis arte,  
 Xaveri longè integro ſe corpore fundit;  
 Panchæi nemoris, ſilvæ Gangetidis, omnem  
 Aſſatum exuperat, ſenſuſque animoſque remulcet.  
 Vimque ſalutiferam ſpirat, quâ protinus ægri  
 Convaluere; oculis redierunt lumina cœcis;  
 Purgati, quos foeda lues infecerat, artus;  
 Et jam ſemianimis hærens, Mors victa refugit.

Hæc inter noto invehitur miracula templo,  
 Ipſa in morte vigenſ, mirandum ante omnia corpus;  
 Ornataque inſtans pompæ, ſacra limina nimbus  
 Irrumpit populorum; avidaque cupidine ſancti  
 Pignoriſ aſpectum violenta eſſagit alto  
 Cum ſtrepitu pietas, & cedere neſcia turba.  
 Verùm ubi detectâ patuit Xaverius arcâ,  
 Qualiſ erat quondam, grato nec decolor ore;  
 Acriùs hoc ſagrant, propiuſque accedere tendunt  
 Unâ omnes connixi: & queis divina tueri  
 Cominus ora datum eſt; porrectis tangere palmis  
 Indigetem, admotas tactu ſacrare coronas,  
 Aut raptis novus ardor agit diteſcere fruſtis.  
 Protruduntque alioſ alii, prætentaque clathra  
 Evertunt; nulloque moræ ſpectacula ſenſu  
 Tanta oculos animoſque tenent. Quam limina circum



THAUMATURGUS.

57

Exclusus spatium vulgus laxæ ædis iniquo  
 Æstuat, obsessosque aditus assultibus urget!  
 Præcipuè læti cum grandia visa renarrant,  
 Obviaque attoniti succendunt pectora testes.

Tres adeo soles adytis Xaverius adstans,  
 Conspectuque acuens haud exsaturabile pascit  
 Visentum studium, crescentesque implet amores.  
 Usque sequax it turba; fluit refluitque per ædem  
 Perpetuo euripo: cunctamque effusa per urbem  
 Xaveri immensæ resonant præconia famæ.  
 Et, collecta Goæ gremio, Magnum India Patrem,  
 Applaudens gratansque, uno velut ore canebat.  
 Ut Stygias jubare ætherio discussit umbras  
 Gentibus Eois, scelerumque immania monstra  
 Dextrâ idem linguaque potens victrice fugavit:  
 Ut numeros unus partesque expleverit omnes  
 Virtutum, inter se visas pugnare, sagaci  
 Concilians formas prudentiâ: ut ardua fortis  
 Moliri, prædura pati; sibi crudus & asper  
 Ipse, aliis blandus; nec fecius acer honoris  
 Divini insurgens vindex, Tu Numinis ardens  
 Oratorque actorque, & cœlo digna profatus.  
 Nec te abjuncta loco, nec te summotâ latebant  
 Tempore; pectoribusque imis abstrusa patebant.  
 Tu Christi interpres, Divumque hominumque minister.  
 Te cunctas versum in facies descendere ad ima  
 Compellit pietas, dejectumque altiùs effert.  
 Splendida Romani tu munera Patris, & amplæ  
 Jura potestatis celas, majoraque summi  
 Dona Patris: genibusque clientum advolveris ultro.  
 Nec famulum gessisse piget. Tu mentibus ægris  
 Corporibusque benignus opem, propriamque salutem  
 Ferre vales: morbosque domas, Lethumque repellis  
 Aut spolias, prædamque frementi deripis Orco.  
 Ventorum, pelagique potens; sedare procellas,  
 Quassare imperio terras, ac bella ciere  
 In sacra armatos tremefactis montibus ignes,  
 Naturæ das jura: Deoque intentus adhæres,  
 D ij



Atque hominum simul omnigenos te effundis in usus ?  
Semper agens, semper collectâ mente quietus.  
Non tua, Xaveri, Europe, non te India cepit,  
Non Japonum tellus; animisque angustior Orbis.  
Salve magne virum, salve decus axis Eoi,  
Axis & Hesperii, lumen spectabile seclis:  
Quam toties urbem hospitio dignatus amico,  
Certus ama civis, populumque tuere clientem.

Tantam incomposito celebrabant carmine laudem  
Lusitaneque Indique: tamen decora omnia supra  
Corporis extincti fas immortale canebant,  
Felicemque Goam, sanctas quæ divite condat  
Reliquias foveatque sinu, venerabile pignus,  
Posthuma inexhausto fundens miracula cursu.

O quos, tanta micat jamnunc si gratia terris,  
Franciscus f referet cœlo redivivus honores,  
Corpus ubi æternum, superis & dotibus aptum;  
Hinc repetet! jam parte sui meliore triumphat,  
Ardua cum Virtus & Amor flagrantibus alis  
Ingentem ætherias animum transvexit ad arces.  
Tot meritis insignem animum, tot fortibus ausis,  
Atque Orci spoliis vastoque Oriente potitum,  
Rite coronavit, Divumque in templa recepit  
Gloria victorem, & Christi Præconibus altis  
Adjunxit, Thomæ geminum, qui primus Eoas  
Imbuerat diâ collustrans lampade gentes.

Ille etiam niveique gregis lectæque catervæ  
Pars, Agnum quocumque ducem inter amica sequentis  
Lilia pascentem, perque almi regna Sionis.  
Innumera albescunt puerorum examina g sancto  
Monte super, patrium queis eluit antè colorem  
Lustrans rore pio; atque immiti funere raptos  
Non questu miserans, at votis sæpe vocavit  
Dulces primitias agri Xaverius Indi,  
Latiùs insertos flores stellantibus arvis.

f *Cœlestis Gloria Xaverii.*

g *Apoc. XIV.*



## THAUMATURGUS.

Quàm blandæ aurito volvuntur in æthere voces!  
 Facundas *h* infantum acuit Sapientia linguas.  
 Et cui, jam partu meliore in secla renati,  
 Omnia felices pueri debere fatentur,  
 Quo grati excipiunt cantu, queis laudibus ornant  
 Franciscum, æternâ secundum prole parentem!  
 Ipse novum cãntare melos, solisque canendum  
 Virginibus, nec Divûm aliis imitabile, gaudet.  
 Et sibi consortem pariter chorus, ecce, piorum  
 Occurrens Vatum, præfagæ mentis & oris  
 Fatidici illustrem dono gratatur & usu.

Haud secûs & victrix acies, Christi inçlyta signo;  
 Magnanimo Heroi coelestes obvia palmas  
 Inclinant, qui pulchra ausi per vulnera legem  
 Propugnare sacram, diro bacchante tyranno,  
 Imbutamque recens jurati sanguine Testes  
 Obsignare Fidem. Vos, ô fortissima corda,  
 Mole brevis, sed laude capax, Manara *i* insula cœlo  
 Eduxit, curis Francisci & munere felix;  
 Proventuque ferax generoso insignit Olympum.  
 Stant septingentæ numero, matrumque virûmque  
 Sublimes virtute animæ, juvenumque senumque,  
 Maturique Deo pueri, intactæque puellæ;  
 Barbaries crudo quas messuit impia ferro,  
 Barbaries, & natum atrox mactare, tyranni.  
 Longè alio Princeps dignus genitore, superstat  
 Non humilem turbam; atque alio jam splendidus ostro,  
 Ipse suo trabeam lætus tinxisse cruore,  
 Æterni fruitur sceptroque & amore Parentis.

Nec Manarâ procul, & Ceilanâ Principis aulâ,  
 Confossus rigidis Badagarum Antonius *k* hastis,  
 Dum Paravas obit assiduo cursu impiger oras,

*h* Sap. X.

*i* Manarenses Neophyti ab Jafanapatano Rege, in 'iisque filiis ipse Regis natus maximus, pro fide Christiana contrucidati.  
*k* Anton. Criminalis, qui primus è Societ. Jesu vitam pro Domino effudit.



Xaveri imperiis actus; tanti ipse magistri  
 Rite vias, duroque solo vestigia passim  
 Fixa premens; dulcesque bonus defendit alumnos;  
 Prodigus & vitæ pastor: nunc plurimus igni  
 Sidereo, & radiis plagas rubet ille coruscis.  
 Quem Loiolæâ ductorem à stirpe sequentur  
 Mille viri, palmis omnes victricibus aucti;  
 Præsertim largo quas efferet India partu,  
 Et Japonum irriguo pinguescens terra cruore;  
 Ac flammâ dubiam, favane feracior undâ.  
 Semina Francisco tantarum debita laudum.  
 Fronde triumphali per secula crescet Olympus;  
 Crescet honore fator surgentis ad æthera silvæ.  
 Quâ se cunque viâ Japonæque Indique per ævum  
 Attollent cœlo; seu fortes morte cruentâ,  
 Seu placidâ virtute pii: tot millia Divis  
 Accessura, patrem agnoscent, immensa propago;  
 Sidera quæ cœli, pelagi quæ vincat arenas.  
 Abrami sortem referet: primosque rigentis  
 Barbariæ cultus soboles gratata, perennem  
 Francisco decoris cumulum, gemmasque coronæ  
 Usque novas, astris saturæ præsignibus, addet.  
 Jamque Sionææ cum se arduus intulit arcu  
 Spiritus Herois; multo quæ mystica proles  
 Ipsius ad superas evaserat agmine sedes,  
 Insolitâ admittit venientem splendida pompâ.  
 Quid vos, Indigenæ cœli, queis plausibus, Alæ;  
 Accipitis, mixtumque Choro datis ire supremo,  
 Vobis assimilem, atque intacti labe carentem  
 Corporis, & vivâ meritum hæc consortia flammâ,  
 Æternum quâ semper amans pius arsit amantem!  
 Tûque adeo, Superûm Virgo Regina, Tonantis  
 Alma Parens, suavem Heroï confessa parentem:  
 Quâ duce corda alacris firmans, per vasta tetendit  
 Oceani spatia; & terras penetrare repostas,  
 Frangere Tartareos valuit Xaverius hostes:  
 Nunc illum ætherio folio præcellâ volantem  
 Suscipis; ac pleno satiandum Numinis haustu



THAUMATURGUS.

81

Sistis adoratae Triados penetralibus, altâ,  
 Augusta, immensâ luce & caligine septis.  
 Captare assiduo quam supplex rite vocatu  
 Franciscus, mortalis adhuc, in vota solebat;  
 Coram aspectanti similis, similisque fruenti;  
 Jam nudo penitus claroque agnoscere visu  
 Admissus Triada; & decoris l speculator aperti,  
 Ipse coruscantem, ceu vivida solis imago,  
 Numinis induitur formam; summosque refulget  
 Coelicolas inter sanctum & mirabile sidus.  
 Omnia quæ supera tabulae in regione biformis,  
 Aetherii simulacra vides, Fernande, triumphâ.  
 Interea elucent passim miracula in terris  
 Xaveri; partosque sibi dum reddit honores,  
 Immenso Deus accumulât nova foenore dona.  
 Nec tumuli solum ex adytis & corpore sacro  
 Manat inempta salus: florent coelestibus ipsæ  
 Haud minus effigies monstris. Scit parva Cotate,  
 Quæ magnas sese famâ superextulit urbes.  
 Memnonios illuc populos certissima traxit  
 Morborum panacea, viri coelestis Imago;  
 Cui, lychnis infusa micans, vice pinguis olivi  
 Ardet aqua; extinctasque accendens lampadas ignis  
 Sponte sua, æternum Francisci illustrat honorem.  
 Mitto ea, quæ dextrâ Herois per rura, per urbes  
 Defixæ peperere Cruces. sanctæque, flagellum,  
 Saxitiæ telum, & tactu quodcunque sacratum est,  
 Corporibus læta afflictis medicamina præbet.  
 Quin etiam, cecinit verax cui prospera vates,  
 Emeritæ navis demum, atque impune solutæ,  
 Fragmina securas pelagi fecere carinas.  
 Nominis ipsius quàm vasta potentia, votis  
 Per maria & terras pactam præstare salutem!  
 Aegrorum quàm sæpe suos tabentibus usus

1 II. Corinth. III.  
 in Nomine immortalis Xaverii, sacrisque Iconibus &c. crebra  
 illustriæque per Indiam edita miracula.



X A V E R I U S

32

Restituit membris! quot inertis vincula linguae  
 Explicuit; laudes mutò Franciscus ab ore  
 Munificus gratèsque tulit! Sub nocte videndum  
 Quondam etiam cœcis sese obtulit ipse, coruscâ  
 Luce favens, verbisque ultro solamen amicis  
 Auxiliumque ferens. Deformi subter hiantes  
 Fronte sinus, vacuas sedes, horrentiaque antra  
 Implevere oculis nitidi subeuntibus orbes.  
 Et sobolem steriles Divo debere fatentur,  
 Et reducem vitam exanimés. Post fata superstes  
 Indigetem regnare probat vis illa, malorum  
 Omnigenûm domitrix; felicique auctior ævo.  
 At mihi vel centumgeminas ora ærea linguas  
 Si moveant, tractus Indorum effusa per omnes  
 Xaveri benefacta, modisque insignia miris,  
 Haud capiam; quas & volventia secula Divo  
 Ingeminant resonas utroque à littore laudes.

⁂ Invidet Auroræ Vesper, sanctumque reposcît  
 Heroa; & tanti fausto se luminis ortu,  
 Caroque Europe Xaveri nomine jactat.  
 Sed, cui non unus vivo suffecerat orbis,  
 Unus bisgemino post funera sufficit orbi.  
 Scilicet Indigetis populos vis mira per omnes  
 Diditur; & Brasilos, Afros, gelidoque Bootæ  
 Subiectos peragrat, primoque oriente refusa  
 Largiùs Hesperios divino munere complet.  
 Ille quidem patriæ decus & tutela Navarra;  
 Nec non & varias Francorum Italûmque benignus  
 Præsidio fovet ac meritis complectitur urbes.  
 Parthenopæa tamen donis illustria, gentes  
 Europæ ante alias, pompisque illustria regna.

⁂ Tabula XIV.

*Xaverii Mira per Europam Beneficentia & Celebritas, maximè-  
 que Neapoli: cum aliquot in Herois Neapolitani gratiam editis  
 per Orientem miraculis.*

Vos



Vos, o Calabri; téque, ó felix, cui maximus urbi  
 Exiguæ assurgit merito Apenninus honore,  
 Te, p Potame, appello. Quantis clarescere Divi  
 Gaudes prodigiis, sacraque ab Imagine pendes!  
 Ut morbos, Stygiosque fugat Xaverius hostes;  
 Et, pictæ assimilis formæ, spectabilis albâ  
 Sæpe in veste nitens, albumque ex æthere florem  
 Virginei dextrâ gestans insigne pudoris!

Vidit & ætherio generosa Neapolis axe  
 Delapsum Indigetem, crebrique exempla favoris.  
 Una sed ante omnes geminum celebrata per orbem  
 Xaveri species, mediâ jam morte q rigentem  
 Mastrillum visentis, & alta ad cœpta cientis.  
 Adstitit, & blandâ Marcellum voce vocavit,  
 Marcellum ingeminans, cœlestis cominus hospes.  
 Extemplo vocem accipiens Mastrillus amicam,  
 Languida in abductam convertit lumina partem,  
 Quâ sonus attonitas exilis venit ad aures;  
 Atque ipsum pariter, jamdudum immobile, corpus  
 Vi subitâ advertit. placido Xaverius ore  
 Apparet, noto peregrinum indutus amictu.  
 Nimirum, pictâ coram pendente tabellâ,  
 Qualem ostendebat paries at plurima vultu  
 Majestas, quantam haud ullo pigmenta colore  
 Æquiparent, & non-mortalis forma reluxit.

Continuò arridens; age nunc, Marcelle, quid optas  
 Cardine in hoc rerum? mors, an prius India cordi est?  
 Divus ait; fortémque clienti in utramque parato  
 Sic vivos instans acuit Franciscus amores.  
 Ecquid in hesterno constat sententia voto,  
 Carpere longinquos pro Relligione labores,  
 Tendere ad Indorum, mea per vestigia, fines?  
 Atque illi, memores animos studiique tenaces

o Imago Potamensis D. Xaverii, miraculis inclyta.

p Oppidum in Calabria Aponnino monti subjectum.

q P. Marcellus Mastrillus, à D. Xaverio derepente sanatus,  
 & martyrio inauguratus.



Præstanti, jam conceptis ipse ardua verbis  
 Vota præit sensim, queis Loiolæa Sodales  
 Nectit Relligio, queis Divus & ipse, viator  
 Dum terras colit, ista semel sacra fœdera votis  
 Assiduè renovabat; & alto corde reposita,  
 Et descripta manu, colloque appensa fovebat.  
 Talia nunc, astris demissus, præcinit auspex  
 Paulatim repetenti ægro cœlestia verba:  
 Grandius & solitis votum, seque auspice dignum,  
 Addit, Eoa sequi Divino littora missu,  
 Ætheriam fuso mercari sanguine palmam.

Hæc ubi; tum iussas præeuntis ab ore magistri  
 Suscipiens iteransque preces Mastrillus, & almâ,  
 Unde hominum suspensa salus, ex arbore frustum  
 Devenerans capiti simul admovet; & simul omnis  
 Corpore dilapsus toto dolor: ultimus hæsit  
 Spiritus, ac subito revocatum in pristina robur.  
 Detrahit ipse sibi & capitis medicata revellit  
 Tegmina Marcellus. nec jam vestigia plagæ  
 Ulla super, casu immanis quam nuper acerbo  
 Malleus infixit: Proregis ad atria, curæ  
 Sacri intentum operis; contuso tempore & ictu  
 Semianimum, informique cruentum vertice fudit.  
 At neque jam sævo restat de vulnere livor.  
 Ipsi etiam, inciso toties totiesque refosso,  
 Ceu prius æquati cernuntur vertice crines.  
 Jamque adeo, cui justa domi funesta parant,  
 Craffina lux festas operantem vidit ad aras.  
 Illicet, ut factum lætus mirabile rumor  
 Distulit, ad templum totâ concurritur urbe.  
 Insignem genere ac meritis, spectare valentem  
 Funere Mastrillum ex medio; cœlestia visa  
 Usque renarrantem Mastrillum audire cupido  
 Undique agit plebisque avidas procerumque catervas.  
 Arrecta auguriis Europa ingentibus adstat,  
 Certa que venturæ capto jam pignore laudis  
 Expectat promissa. Ergo per utramque profectum  
 Hesperiam, Regesque virum populique frequentant



Officiis, devota sacris desponsaque tendit  
 Victima non dubiam in cædem, palmaria fata.  
 Et nos, auspiciis tantis, ac Numine certo  
 Valentem, procùl aspectu, Fernande, sequamur.

Affiduis illum per terras ducit & undas  
 Prodigiis notum Xaverius. O, quibus ardet  
 Mastrillus votis, quo nectare corda madescit,  
 Dulcis ubi exuvias datur attrectare Patroni,  
 Tabis & ignarum tantò post funera corpus,  
 Extulit augusto quà se Goa mausoleo!  
 Hic solidam argento curat fragrantibus arcam  
 Relliquiis; &, quod Regina advexit Iberæ  
 Donum, auro baccisque crepantem inducit amictum.  
 Ipse autem fidâ securus Imagine pergit  
 Xaveri, præsentem animo, mirisque faventem  
 Auxiliis nactus per mille pericula Divum.  
 Quos, tacitum oraclum, vario præfaga colore  
 Signabat casus, divina evicit Imago.

Instantes pelago Batavos, pavidamque biremim  
 Lusadum, jam jamque manu validisque tenentes  
 Navibus, una minis armisque objecta repressit  
 Effigies, tuto Marcelli sospita cursu.  
 Mox & turrato dejecit monte feroces  
 Mindanaos, altâ prædones arce timendos  
 Christicolis; pugnamque inter, flammantis aheno  
 Tormenti jactum ore globum, fulménque sine ictu,  
 Signiferi innocuo Marcelli pectore frangit.

Tali præsidio non exsuperabilis heros  
 Orbem lustrat ovans: necquicquam plurima ponto,  
 Plurima turbantem terris, iraque frementem,  
 Marcellus domitat Xaveri viribus Orcum.  
 Ipse suis pugilem hunc animis & robore cœli  
 Induit, armatumque suis virtutibus ornat,  
 Heredem generosum acri sortitus amore  
 Marcellum, inque amplæ consortia laudis adoptat,  
 Suppositumque sibi legat Franciscus: & illam,  
 Quæ sibi post tantos avido inconcessa labores,  
 Marcello addicit venalem sanguine palmam;



Ipso aditu Japonum, primisque in finibus offert:

Aspice jam palo districtum, & funibus arctis  
Implexum, prono Mastrillum vertice, & undâ  
Ad nares immerso; ægroque animam ore trahentem.  
Ut convulsa ruunt, revolutaque viscera, poena  
Cum modus, erecto duplicant mox corpore poenas!

Huic alter succedit aquæ crudelior usus.  
Mastrillum intendunt scalis; orique supino  
Dira quater-centum cyathos manus irrequieti  
Carnificis, quantos corpus capit, ingerit amnes  
Interclusâ animâ; & venis præcordia ruptis,  
Obruta perpetuo fluctu, miserè ebria anhelant.  
Horrendum tumefacta, velut distenderet hydrop  
Immanis, plenosque utres imitata rigescunt  
Viscera, diluvio satura & prægnantia lymphis:  
Spumosque ultro latices pleno ore redundant.  
Tum tabulâ compressum urgent; subiguntque fluenta;  
Antè infusâ, nigro foedè commista cruori  
Reddere, perque omnes unâ ejectare meatus.  
Heu Japonum rabies; priscisque ignota tyrannis,  
Tartareo demum tormenta inventa furori!

Mastrillum nova seminecem feritatis imago  
Poscit, atrox fovea; & jam exhausto corpore fractum  
Suscipit, ast invictum animo, latumque per omnes  
Raptari Heroem formas artesque dolorum.  
Tortores rigido corpus circum omne rudentis  
Multiplici obstringunt nexu, versisque tigillo  
Suspendunt pedibus. Tenebroso carcere clausum;  
Fulgere quem custos elatum aspexit in auras;  
Prætores facie augustâ stupuere verendum;  
Hunc tamen, hunc tetro, genuum tenus, abdere hiatu  
Effossæque cavis terræ penetralibus audent.  
Proh scelus! at menti interea sua gaudia constant,  
Dum pendet corpus, Divum supera alta tenenti.  
Nec caput in pronum sanguis defluxit & ora:  
Et coeli instar habet, vivo, fovea atra, sepulcrum.  
Quarto abstracta die tandem, & scrobis eruta cœca  
Ferali ex latebra, surgunt victoris ad auras



THAUMATURGUS:

37

Corpora Mastrilli. neque enim sine sanguine lethum  
Optatum venit, & prædictæ gratia palma.

Præsciis ipse olim, mox & lethalibus Heros  
Addictus poenis; non hæc tamen aspera, dixit,  
Vitam extorquebunt: qui limina pandat Olympi,  
Barbarico suspensa manent ab acinace fata.

Evenit. gemino curvatus poplite, colla  
Submittit gladio; & sancti carissima Patris  
Nomina, bis, Franciscæ, piâ bis fervidus altè;  
Xaveri, te voce vocat: seu summa ferentem  
Auxilia assueto visu lætissimus haurit;

Seu tibi depositum fidus vitamque reponit,  
Prodigio hæc olim servatam in munera vitam.  
Spes sibi nec vanas cecidisse, & grandia rerum  
Testatur promissa: simul collo excipit ictum  
Ingentem, validum, ac diro stridore minacem;  
Vulnere sed cassum. Quamvis certâ incidit acre

Cervici inflictum dextrâ, & penetrabile ferrum;  
Illæsa penitus cervici ferrea cedit

Vis; solido ceu plumbum obtusum adamante, resultat.

Infremuit licitor, nisum indignatus inanem;

Rursus & intento subjecta in colla lacerto

Acrior insurgens, & ineluctabile ferrum

Fulmineo intorquet percussor barbarus ictu,

Ærea quo galeæ aut loriceæ robora findat.

Rursus & integræ cervici innoxia cessit

Ferrea vis. tantum summâ tenuis cute frictus:

Vix nota subrubuit meditata languida plagæ.

Hic verò obrigit monstris, pavitanisque satelles;

De cœlo veluti tactus, stupet. excidit ipse

Elusâ gladius dextrâ; veniamque precari

Concepto caput in sacrum pro crimine visus,

Marcelli jacet ante pedes; mortaliaque ausa

Damnat, & autorem sceleris, scelerisque ministrum.

Respicit attonitum Marcellus, & ore sereno

Carnificem hortatur. Positâ formidine iussa

Perfice, ait: capitis nostri permissa potestas.

Quo monitu firmati animi; ceu jura remittat



Ipsa sua, & eadem veniâ dignetur iniquam,  
 Quem ferro violare nefas: gladioque recepto  
 Barbarus Herois facili caput abscidit ictu.

Ille cadens, morbo emissum, jam nobile letho  
 Votum explet: quàmque haud licuit sermone profano  
 Per Japonas vulgare, docet sancitque ferendo,  
 Ac toto obsignat Divinam sanguine legem.  
 Et linguâ J E S U M, linguâ moriente M A R I A M  
 Verba sonant suprema; sonumque accepit Olympus.  
 Contremuit tellus, quali prius excita motu,  
 Captus ubi Pater, & scelerata in vincla petitus.  
 Nec frustrâ. quippe & justo concussa tremore  
 Corda virum, & Christi percussæ numine mentes:  
 Xaverique unâ Mastrillique inclyta fertur  
 Gloria bisgeminum, famâ sociata, per axem.  
 Et jam cuncta Deo meritas canit India grates,  
 Hesperiazque urbes festo gratantur honore.

Præcipuè insignes agitat, pia gaudia, cultus,  
 Marcelli patria, & peregrinæ laudis origo,  
 Parthenope; ingentis Xaveri ingentia dona,  
 Clarâque coelesti referens miracula viso.  
 Hanc, semel eximii imbuerat quam luce favoris,  
 Urbem exinde fovens, spectacula in ampla theatrum  
 Esse dedit, cumulatque sequaci munere munus,  
 Ille olim certâ Mastrilli ex morte recepti,  
 Dehinc populi exitio rapti sospesque paterque.  
 Hinc quoque Xaveri, pingo quas carmine formas,  
 Splendida r prodigiisque ferax augebit Imago.

Nube super croceâ, phœbeo clarior astro,  
 Diva sedet puerum Genitrix complexa Tonantem,  
 Aligeræ in medio, templi ad convexa, catervæ.  
 Pars citharas plectro, digitis pars nablia pulsant;  
 Carmina pars linguâ, sed nulli audita profano,  
 Cantant, Virgineas laudes, & Prolis honores  
 Bisgenitæ, æternæ. Corâm Xaverius aris

*r Imago D. Xaverii in templo Societ. Jesu Neapolitano.  
 quæ crebrâ vultûs mutatione pestem urbi prænuntiavit.*



THAUMATURGUS.

34

Affusus; qualis noctemque diemque solebat  
 Suppliciter Christo & magnæ apparere Parenti.  
 Fortè oculos carâ defixus Imagine cultor  
 Xaveri, speciemque novam spirantiaque ora  
 Cernit, & incertos vultûs errare colores.  
 Miratur, testesque adhibet. trepidantibus hærent  
 Cuncti animis; densosque ciet fama undique cives.  
 Francisco suspensi inhiant. jam pallida præfert  
 Ora metu; rubet accensâ jam concitus irâ;  
 Jam multo assimulat durum fudore laborem.  
 Instabilis facies, risu mox læta decoro  
 Explicuit sese: mox largo lumina fletu  
 Manant; & coelo nunc se miseranda, precantum  
 In morem, attollunt, nunc sensu urgente doloris  
 Dejecere solo. Tum mentes occupat horror  
 Spectantum, juxtaque sibi patriæque timentum.  
 Nam vaga quid tabulæ species? quid scenam inatur  
 Versicolor, vivo pictura exercita motu?  
 Nec breve portentum; concurrentemque moratur  
 Effigies vulgum ac Proceres, mutabilis ultro.  
 Quin miræ obducto varii velamine formæ  
 Translucent habitus, terrorisque extat imago.  
 Eventu funesta gravi probat omina pestis.  
 Deliciis, opibusque & nobilitate superbam  
 Parthenopen, heu, quâ temerati Numinis irâ  
 Corripit, & quantâ deformat clade, sepulcro  
 Jam similem, vastaque suorum strage sepultam!  
 Nil medicæ juvere artes; humanaque cessant  
 Præsidia: ætherii spes est super una favoris.  
 Ergo quem nuper vatem sensere malorum,  
 Monstratis orare malis suprema vicissim  
 Auxilia instituunt, votisque accire salutem.  
 Ut quondam sitis ingentem cum dira catervam  
 Vectorum, & lymphâ defectos simplice nautas  
 Ureret, ah, placido nimium & torpente profundo;  
 Franciscus socium, navi tum vectus eadem,  
 Sollicitus turbæ in rabiem miserescere agenda;  
 Quas pelago immites hauriri jusserat undas,



X A V E R I U S

In gelidi vertit prædulcia pocula fontis:  
 Et longè sparsas Eoa per oppida miri  
 Posthac relliquias laticis vertère medendi  
 In varias, alia ex aliis miracula, formas,  
 Sic tristes Divus lacrymas & amara dolorum  
 Leniet; infando mutabit gaudia luctu.

Haud temere concepta animis fiducia gentem  
 Erigit: ac primùm Indigetem privata benignum  
 Agnovit passim pietas. Seu tangit imago  
 Xaveri, seu membra linit moribunda petitum  
 Ipsius ante aras oleum flagrante lucernâ;  
 Seu prece subsidium nudâ cœleste vocatur;  
 Certus adest Opifer, sævumque ignita tumorem  
 Continuò posuere, nitentque valentia membra.  
 Publica dein pietas magni sub vindicis umbram  
 Confugiens, Franciscum ambit, priscòque Patronum  
 Adlegit Indigeti; / cuius victrice profusus  
 Morte cruor, longoque jacens concretus ab ævo,  
 Et vitreâ ampullâ miros servatus in usus,  
 Utcunque accessit capiti, se sponte resolvit,  
 Purpureùm ebullire recens à vulnere visus.  
 Stragem agris, terrorem urbi cineremque Veservo  
 Immittente jugo piceæ inter fulgura nubis;  
 Torrentes flammæ, cœcoque fragore ruentes  
 Caris Parthenopes defensor mœnibus arcet.  
 Nunc illo undantis latè per amœna locorum  
 Turbine sulfureo montis, rapidoque tumultu  
 Haud levius miseris fatum & præsentius affert  
 Tempestas cœli vitiato noxia tractu,  
 Ardentisque lues spargens contagia morbi.  
 Hanc tibi commissis depellere civibus, alter  
 Tutor t adorantum Procerum populique clientis,  
 Accelera, Francisce: & quas portendit Imago  
 Jam tua, fatales procura mitior iras.  
 Talibus aggreditur, votoque Neapolis altum

*( D. Januarius Episc. & Martyr, Neapolis Patronus.  
 & Neapolis Patronus cooptatus Xaverius.*

Magnifico



Magnifico exorat Custodem; & pacta benignam  
 Pauperis hospitio turbæ curamque domumque,  
 Ipsius inscriptam Francisci nomine sedem,  
 Optatum dono sacra per commercia donum  
 Elicit, ac latos voti jam sospita fructus.  
 Urbem quæ sævâ confectam pestē dicavit  
 Xaveri patrocínio, notoque favori,  
 Fortunata dies, sollenni conscia voto;  
 Votivos eadem cultus superasse merendo  
 Vidit, & incensam Divum restinguere pestem.

Hospitium infelix ægrorum, ac lugubre tectum  
 Stabat funereæ sub mœnibus urbis; & atras  
 Ante fores stabulans Terrorque Horrorque fremebat.  
 Intus acerba lues, & strata natantia tabo;  
 Insanique habitant æstu torrente Dolores.  
 Jam letho propiora // quater-centena jacebant  
 Corpora; flammatis sparsi bubonibus artus.  
 Ecce autem subito cunctis averfa propinquæ  
 Mortis atrox facies; cunctis absterfa repente  
 Ulcera: tum diri membris cessere dolores;  
 Invalidis sua vis, putribus sua reddita forma.  
 Nativus tantum sanos calor obtinet artus;  
 Corporaque instaurans, vitali fomite regnat.  
 Protinus &, miseram dudum grassata per urbem;  
 Pestifera absistunt totis contagia muris.  
 Sensit Parthenope voti rea, grata salutis;  
 Jamque opis expertæ merito pretioque Patronum  
 Insignem, æternis gaudens adscribere fastis.

Quàm lætas resonant grates fulgentia templa!  
 Ipsaque jam templi in faciem conversa paratu  
 Eriget urbs, jam sacra, novo: luctusque recentes  
 Oblita, ac veteres tendens evincere pompas.  
 Nec modò textilibus pannis, Phrygiisque tapetis  
 Circum amplas velata domos, & murice tincta

u Quo die votum à Sanitatis Prefectis nuncupatum de  
 Xaverio Patrono adsciscendo, quotquot in Nosocomio decumbebant  
 peste contacti, subito omnes persanari fuere, ad quadringentos



Splendescit; purasque faces vigilesque lucernas  
 Æmula sideribus claroque accendit Olympo:  
 Crebra sed instruitur, p̄rque omnes machina vicos  
 Consurgit; maria ac terras, sparsosque per orbem  
 Xaveri immensos referens, opera alta, labores,  
 Et picturatas variâ sub imagine laudes.  
 Illic, cœlestes iras qui temperat Arcus  
 Infringitque minas, & blanda pace renidet,  
 Furva colorato {describit nubila tractu,  
 Idem augur pluviae, tempestatisque serenae.  
 Haud aliter, quorum prænuntius, ipse malorum  
 Depulsor, moestam recreat Xaverius urbem:  
 Quam lacrymosa luem Divi intentavit Imago,  
 Nunc abolet tutela, & amicæ gratia curæ.  
 Hic, qualis Mastrillum adiit lethoque redemit,  
 Qualem & Parthenope celebri coluisse figurâ  
 Conscia amat; peregrini habitu descendere cœlo  
 Visus, & Aligeri gladium jam cæde rubentem  
 Ultoris frænare, piaque avertere dextrâ.

Centum aliæ Divi species, insignia centum  
 Collucent; quot virtutum decora inclyta, quanti  
 Contextus factorum, & quæ gemino edita mundo  
 Donis certantes implent miracula terras.  
 Præsertim, ut turbæ bis se pater optimus agræ,  
 Pestiferoque ic̄tæ morbo, devoverit ardens  
 Obsequiis; placidus ter pestem extinxerit Heros.  
 Tergeminæ, Nympharum instar, cœlestia formæ  
 Munera gratantur, populis exacta venena.  
 Vertice turrigeram demittunt supplice frontem;  
 Veste in barbaricâ, atque Indi ferrugine vultûs  
 Hinc Manara, & similis formamque habitumque Malaca;  
 Pulchrior hinc faciem, atque Italam circumdata pallam,  
 Et quondam hospitio dignata Bononia magni  
 Vindicis, in sacrâ ceu proludentis arenâ:  
 Quas pesti eripuit gentes servator acerbæ  
 Franciscus. nunc & parili comes addita dono  
 Parthenope, dignos Patrono exquirat honores.  
 Illius, eductum, propriâ, quod sede refulget,



Siguum augustum, ingens, gazaque Orientis amictum,  
 Principis infertur templi exultantibus aris.  
 Inde per ornatam studiis certantibus urbem  
 Lustrali vehitur pompâ. Dux martia signa  
 Assuetus regere, & iussis agitare cohortes;  
 Amplum, Xaveri quo vivida lucet Imago,  
 Vexillum gerit ipse manu: cunctique sequuntur,  
 Ordine quisque suo, series immensa, dicati  
 Numinis in cultum & coeli commercia Mystra.  
 Albati agglomerant sese, stipantque Sodales  
 Indigetis simulacrum. onerat circum Indica gemma,  
 Sacrum umbella micans superimminet aurea pignus.  
 Post generosa manus, censuque illustris equestri,  
 Sexcenti incedunt proceres, facibusque coruscant,  
 Militiæ clari titulis, simul urbe potentes:  
 Perque vias, per templa, calentem volvere turbam  
 Exundans late populus. Cœlestis ubique  
 Splendor, ubique pio regnans opulentia luxu.  
 Ingeniique manusque exercuit alma laborem  
 Religio, latusque operosis molibus Artes.  
 Passim aræ, passimque chori, Xaveria facta  
 Qui celebrent: nec non templis quassa omnibus aræ;  
 Bellicaque aræ tonant, ac pulvere feta nitrato  
 Ingeminant tormenta: & quæ spectanda plateas  
 Insedit legio, Paci famulantibus armis,  
 Condensio strepitu cannas displodit ahenas.  
 Nunc & castra tenet Pietas, & nata cruenta  
 Tela virum cladum meliores vertit in usus.  
 Barbariæ aeterno domitori, atraque fuganti  
 Cum Furiis pestes, Heroi inscripta trophæa,  
 Per fora, per vicus, attollit, & ipsa benigni,  
 Quanta est, Parthenope Xaveri salva trophæum.  
 Turbidus incassum contractis nubibus Orcus  
 Egregium pompæ Francisco invidit honorem.  
 Ipse sui ex alto latus spectator honoris,  
 Nubila jam foedos minitancia civibus imbres  
 Disjecit, cœloque dedit gaudere sereno.  
 Xaveri lux illa fuit. Tresque ordine noctes



Compita Parthenopes hilararunt omnia, & umbram  
 Mille simul vicere rogis ardentibus ignes:  
 Igne coronarunt stellantem lampades urbem,  
 Artificum toto volitarunt aere flammæ,  
 Multiplices actæ in formas: vibrantibus illæ  
 Assimiles colubris, candentique æthera flexu  
 Descripsere; vagos aliæ finxere cometas,  
 Crine sed innocuo rutilos, ac splendida monstra.

Circumvectatum sancto, Fernande, triumpho  
 Postquam ædis gremio simulacrum arisque resedit,  
 Tollitur ætherias pæan divinus ad auras.

Xaveri octonas exin præconia luces  
 Personuere: sacræque exordia laudis ab alto  
 Imbuit Antistes, facundo gemmeus ore;  
 Et fortunata Patronum clade repertum  
 Lætitiæ interpretis gratatur publicus urbi.  
 Auribus excipiunt avidi, & nova munera cives  
 Congerere assidui, proprias ex ordine pompas  
 Ducere ovant, coetuque aras celebrare perenni.  
 Argento lychnos solido, solidoque coronas  
 Argento accumulant: & quot regionibus ingens  
 Parthenope distincta patet, vexilla Tribuni  
 Et bombyce ferunt totidem circumflua & auro,  
 Fassa clientelam, Tutelarique reponunt.  
 Grandius, augustaque faventis Imagine Divi  
 Vexillum, & fulvo radians insigne metallo,  
 Præfecti appendunt memores, discrimine tanto  
 Queis populi mandata salus; templique coruscâ,  
 Servatæ monumentum urbis, testudine figunt.  
 Annua cum redeunt Xaveri festa, Patrono  
 Debita magnificæ redeunt sollennia pompæ.

x Hactenus, ô Princeps, adversis mutua venit  
 Parjetibus Tabula, & pictos æquavit honores:

x Tabula XV.

*Ferdinandus Episc. ac Princ. Monast. & Paderb. æger summo  
 vitæ discrimini ereptus nuncupato de fundanda Basilica Xaveriana  
 voto.*



THAUMATURGUS.

45

Hinc atque hinc longo septemplex ordine rerum  
 Comparibus miranda dedit spectacula formis.  
 Ultima nunc, exorsque, tibi se debet Imago  
 Ante omnes, Fernande, aditus quæ rite sub ipsos  
 Delubri figenda tui, partem una tenebit  
 Magnificæ extremam justo discrimine molis.  
 Hic Divi nova dona, & opis miracula fulgent;  
 Hic tibi parta salus. En, ut delapsus Olympo  
 Gestat vitali felicem ex arbore ramum,  
 Ambrosiâ madidum; suavisque aspergine roris  
 Lethiferum extinguens ardorem, æstusque malignos;  
 Depositum relevat corpus, redditque saluti!  
 Nec tibi parta salus uni: tecum, Inclyte Princeps;  
 Et Padera, & dulcem recipit Mimigardia vitam.  
 Castalias unâ revalescere sensimus Artes.  
 Pulchrius æternæ fundamina jacta salutis  
 Gratantur simul Arctoi, gratantur Boi.  
 Quàm bene, Christiadas Latia qui a Præsul ab arce  
 Temperat arbitrio & sanctis moderatur habenis,  
 Ipse suas, Fernande, vices tibi credidit ultro,  
 Providus & Septem jussit dare jura Trioni!  
 Ah, miseras gentes, quas impius abstulit error,  
 Disperfas ut oves longeque per avia raptas,  
 Sollicito, custos veluti communis, amore  
 Aufonii revocas antiqua in septa Lycæi.  
 Bisseptem b accinctos, Boreæ qui regna peragrent  
 Assiduo excursu, mirâ pietate maniplos  
 Instituis: curâque acer sumptuque benignus  
 Fortes emittens operas, ardentia corda  
 Provehis Oceani extremas glacialis ad oras.  
 Idem; & longinquas, Rex ô venerande Sacrorum;

a Apostolicus Vicarius Generalis per Septentrionem ab Innocentio XI. creatus.

b Ad sacras expeditiones, sive Missiones Apostolicas XIV. in omnem ferme Septentrionis partem annuos census egregia religioſaque munificentia conſtituit.







THAUMATURGUS.

71

Quâ pius Evigenas ante omnes laude beatam  
 Furstenbergiades memorat, summamque Patronam  
 Xaverique suamque; & primæ à Numine Matri  
 Rite dicat pendenda sacro stipendia bello.  
 Nec non Aligeri, rerum queis credita cura  
 Atque hominum, Christi ardentis ad iussa ministri,  
 Innocuo faciles præstabant æquore cursus-  
 Prævius, en, gemino Thomas, Xaverius, astro;  
 Cultores & uterque suis dux advocat Indis.

Cernite maturis *g* albertia messibus arva,  
 Ingenui agricolæ, falcemque vocantia regna;  
 Cernite piscesos verrentia retia tractus.  
 Ecce autem prædæ *h* Socii gravitate laborant;  
 Consortesque cient opera ad pulcherrima dextras.  
 Supplex ipsa manus vobis procùl India tendit,  
 Nigra, sed eniteat lymphâ quæ tincta salubri.  
 India suspirans, & gazas inter egena

( Quas petit, heu, tantis pelagi terræque periclis  
 Imperiosa lucri & nunquam exsaturata cupido )  
 Poscit opem, sanctique aperit commercia quæstus;  
 Et vitæ impensâ dignas pretioque parari  
 Sponte dabit merces, animas sectantibus, & quas  
 Ipse suo gemmas emit jam sanguine Christus,  
 Olim & thesauris quas vindicet aureus æther.

Ulteriùs, palmis fecunda & opima cruore,  
 Offert se Japonum regio; quæ cuncta piorum  
 In clades elementa adigens, jam corpora lento  
 Tosta rogo absomit, jam dirâ ingurgitat undâ;  
 Hos glacie, hos ferventis aquæ vi barbarâ torquet;  
 Aère suspendit, vivos terræ infodit artus;  
 Concidit chalybe, aut hastâ transfigit acutâ.  
 Mille aliis gestit noxis, pœnasque reposcit  
 Virtutum. Sed queis invictos effera vexat  
 Supplicii pugiles, ornat: lethoque triumphant.  
 Horrida sacrarunt immites crimina terras;

*g* Joan. IV.  
*h* Luc. V.



X A V E R I U S

Tergeminos i ex quo Socios Crux intulit astris,  
 Primitias Japonum, suffixo in pectora ferro.  
 Splendida victricis palmas gestamina dextræ,  
 Purpureâ insignes ostentant luce coronas  
 Spinola Mastrillusque, alii centum ordine Patres;  
 Seu quos Hesperia virtus advexit ab orâ,  
 Seu quos ipsa tulit Japonum læto ubere tellus.  
 Tot Procerum capita alta, Crucis clarissima probro;  
 Poenarumque avidum, vulgi haud ignobilis agmen,  
 Omnigenum, immensum; pariter nuptæque virique;  
 Solventesque rudem Christi in præconia linguam,  
 Heroum assimiles, pueri teneræque puellæ.

Et sua pacatis increvit adorea Sinis;  
 Opprobrii nec parca seges, nec avara doloris,  
 Talibus illecebris capitur quando ardua virtus,  
 Invitat fortes animos seges aspera laudis.  
 Audiimus, quantos diâ pro lege labores,  
 Emeritâ pietate senex, doctæque Mathesi  
 Nobilis, & cultor Sinarum operosus, k Adamus,  
 Sanguine Fernando ac Superum conjunctus amore,  
 Pertulerit gravibus vinclis & carcere cæco;  
 Quique seni comites mortis venere sub ictum.  
 Omnia jam sacris placidi arrisere colonis  
 Imperii; & blando populi cum Principe, ritus  
 Christicolûm, æternæque probant oracula mentis.

Ite, agite, extorres ultro, & quæcunque caduca  
 Exuti, Aligeris similes, divina propago,  
 O Xaveriadæ, & vastos pertexite cursus.

k *Prima in Christianos ab Japonibus exprompta supplicia, in crucem atque in cælum extulere BB. Martyres Paulum, Joannem, Jacobum Societ. Jesu.*

k Vir nobilitate generis, & Apostolica virrute clarissimus, Ioan. Adamus Schall à Bell ex Luffrelberg castro archidiocesis Colonienfis, è Societ. I E S U Sacerdos, popularis atque cognatus noster, maximè enituit, & Christianam Religionem per annos sex & quadraginta iis in terris mirificè propagavit. *Ferdin. in diplomate de Fundatione Missionis India Orientalis, seu Sinica & Japonica.*

Illius



THAUMATURGUS.

49

Illius advolvī tumulo / Ducis, illius alium  
 Fas coram fuerit venerari pignus, & altos  
 Inde animo trahere, atque inter freta Sinica primum  
 Corporis hospitium glebamque agnoscere inanem.  
 Quæ loca velivoli nautæ, dum Sancia præter  
 Littora ventus agit, sanctæ loca conscia morti  
 Usque colunt. festo bombardæ explosa salutat  
 Cum sonitu, statio quas parva insignit arenas.  
 Ipse aderit, fidisque alacres præsentior Heros  
 Afflabit Sociis animos, invictaque cœli  
 Robora, mille juvandi artes, vitæque magistras.  
 Ipse præit, densasque oneroso efferre videtur  
 Falce cruces: gravis ut quondam sub imagine somni,  
*Amplius*, exclamat, toto rursum igneus ore.  
 Una viro requies, alius nascensque feraxque  
 Ex alio labor, assiduos revolutus in orbis,  
 Dum terris egit: pœnarumque arsit amore.  
 Nunc etiam lectos sua per monumenta Sodales  
 Barbariæ ad cultum rapiens, paribusque sequaces  
 Exstimulans votis, dura inter & aspera forti  
 Sublevat ipse manu; largum irrigat æthere nectar;  
 Numinis incensos hominumque inflammat amores.

At tu rite piis affectans sidera curis,  
 Patronoque sagax placitos superaddere cultus;  
 Vivam Paderæ caris dum sedibus ædem  
 Extruis; Oceano, Princeps, ab utroque labores  
 Heroos agitas: urges palmaria cœpta,  
 Missilis argenti pretio; lateque piatos  
 Mystica per populos, & quæ gratissima Divis  
 Tempa, paras: vivæ surgent in cordibus aræ.  
 Et nova perdomito statuas Oriente trophæa,

*Inter ceteros vero, quos ad perficiendum voluntatis suæ sacramentum in tantarum gentium vocatione Dominus præordinaverat, egregius servus ejus Franciscus Xaverius, novus Indiarum Apostolus, gloria sanctitatis & meritorum splendore præcipue emicuerat... dignus inventus erat, qui à Spiritu Sancto in tam insigne opus assumeretur, ac tanquam aliorum Dux divinâ providentiâ constitutus &c. In Balba Canoniz. S. Franc. Xaverii.*


G



50. XAVERIUS THAUMATURGUS:  
Ac stygii referes victor spolia ampla tyranni,  
Francisco decoris confors, partæque salutis  
Gentibus, auxiliis miscens socialia bella.  
Grande triumphato nomen Xaverius Indo  
Rettulit, augusto Divûm sacratuſ honore:  
Ibis Francisco junctus, Fernande, per orbem;  
Tu quoque Principibus jam nunc adscriptus Olympi.







X A V E R I I  
 T H A U M A T U R G I  
 I N D I A R U M A P O S T O L I  
 R E S I L L U S T R A T Æ  
 H I S T O R I C I S A C T H E O L O G I C I S  
 C o m m e n t a r i i s .

P R Æ F A T I O .



UM Divinæ laudis augustæque doctrinæ præconium ad ultimos terrarum fines Apostolica Francisci voce pervaserit; æquum sanè fuit, Deique Opt. Max. providentiæ consentaneum, ut ejusdem Præconis Evangelici fama, tantis in omne genus hominum atque in Superos ipsos promeritis clarissima, orbem universum magnificè personaret. Et verò † à finibus terræ laudes audivimus, gloriam justî insignem profectò, ac singularem panè gloriam; quæ gentes longè latèque pervagata; neque effusis modò acclamationibus populorum celebrata, litteris & annalibus consignata; sed etiam

† Isai. 6. 24.



Religionis Christianæ fastis, æternitatisque adeo monumentis consecrata est.

Huic ego publicæ mortalium immortaliumque, facto velut concentu, gratulationi pro mea parte non deero: cùmque jam poëticis modis ornare Thaumaturgum illum cœperim; Herois præstantissimi virtutes, & summa rerum ab eo mirificè gestarum fastigia solutis numeris persequi, Theologicis & historicis observationibus illustrare constitui, Sic autem novam encomii formam instruo; non ut Xaverianorum factorum seriem ordine temporum, aut contiguitate locorum, & uno tanquam filo narrationis pertexam; verùm ad totidem capita, quot Iconum paria proposui, rerum infinitam vim revocabo. Ac quoniam sine comparatione frigere laudatio dicitur, Francisci egregia facinora cum laudibus conferam multorum ex utroque Testamento illustrium virorum; Eliæ potissimum, qui Propheta imprimis est nobilitatus & incenso gloriæ divinæ studio, & operum supra naturæ captum ordinemq; eminentium amplissima facultate.

Equidem odiosam esse comparationem haud ignoro sanctorum inter se hominum; quid cum eo viro, qui unus Prophetici chori totius quasi personam & dignitatem, ubi Transfigurato Christo adstitit, spectabili majestate sustinuit? Atenim hinc *non equalitatis*, ut Ambrosius in alia causa loquitur, *sed similitudinis æmulatio est*. Quanquam tanto cum Vate citra temeritatem componeretur is, cujus hoc extet in Martyrologio Romano à Sacra Rituum Congregatione approbatum elogium: *Indiarum Apostoli, multitudine infidelium, quos convertit ad Christum, & magnitudine miraculorum, præsertim in suscitandis mortuis, & spiritu prophetiæ, toto orbe conspicui*. Quid, quòd in Pontificio Urbani VIII. diplomate, seu Bulla Canonizationis, dicitur *benedictionem Patriarchæ Abrahæ spiritualiter consecutus, ut multarum gentium pater efficeretur; & filios, quos CHRISTO JESU genuerat, super stellas cæli, & super arenam quæ est in littore maris, multiplicatos videret*? Ita sanctissimum Ecclesiæ oraculum de mystica felicissimi parentis fecunditate.



*Fani verò miracula per illum tum viventem, tum vitæ functum, patrata divinitus, tam multa, tam varia tamque insignia sunt, ut profectò Xaverius nihil fecisse minus à magnis Apostolis affirmari possit. Quod est luculentè pronunciatum in oratione Advocati Consistorialis, habitâ coram Gregorio XV. cujus Pontificis nomine in hæc verba responsum est appositè. FRANCISCUS XAVERIUS, vir Cœlitibus magis similis, quàm mortalibus.*

Quare nihil audacius fecero, si comparisonem instituero Francisci cum Eliâ. sed, ut supra monui, nihil ego propriè comparandi gratia dicam: multiplicis duntaxat virtutis, excellentiumque factorum quandam inter se miram cognationem indicabo. Nempe *in spiritu & virtute Eliæ* Joannes Baptista Dominum præcesserat, Angelus ille terrenus Christo præmissus ad parandam sternendamque apud Judæos viam. Itidem Eliæ spiritu ac virtute Dominum secutus est Xaverius, quem Deus † *Legatum ad gentes misit* Christi imperio submittendas; Xaverius, qui tot Principes, tot populos baptismo expiavit.

Completus in Elisæo spiritus Eliæ dicitur à Sapiente, qui horum elogia sacrorum vatum connexuit Ecclesiastici capite octavo & quadragesimo: ambosque conjunctè Christus Lucæ quarto produxit. & ambos hac ego tractatione jungam, cum faciliè unus utrique respondeat Xaverius. Tanta est enim operum ejus divinorum copia, tanta varietas; ut, si quâ parte cedit inçlyto Prophetarum pari, multitudo idem longè superet, præsertim revocatorum ad vitam mortuorum: quæ miraculi species maxima numeratur.

Hisce præmonitis, ad exponenda magni Xaverii decora, quæ superiores ad Iconas referantur, venio; ac primùm ad illius eximias voces duas, quæ sublimis & cœlestis animi sensum, aspera inter & suavia, miro compendio difertissimaque brevitate prodiderunt.

† *Abd. v. 1.*







THEOLOGICORUM  
HISTORICORUMQUE COMMENTARIORUM  
CIRCA RES  
D. FRANC. XAVERII  
INDIARUM APOSTOLI  
CAPUT I.

Iconum Pari primo respondens.

*Xaverius objecta sibi divinitus laborum gravissimorum specie exclamat, amplius. Tabul. I.*

*Xaverius, deliciis affluens caelestibus, identidem succlamat, Satis est Domine. Tabul. II.*

PARS CAPITIS PRIOR.

*Surrexit Elias Propheta quasi ignis, & verbum ipsius quasi facula ardebat. Eccli. XLVIII.*

**E**T illa frequens in sacris litteris & idonea similitudo, quâ curandæ vindicandæque gloriæ Divinæ studium, seu zelus, ut appellari solet, amulatioque sancta cum igne comparatur. Deo optimo maximo, Dei caelestibus Administris, hominibus virtute præclaris, ea



XAVERIUS THAUMATURGUS. 31

tribuitur ac splendide congruit. *a* Etenim Deus noster, ignis consumens est: quod ait succinens Mosi Paulus. & ipse crebro zeloten, amulatorem, honorisque sui vindicem acerrimum se Deus, tum imperiosis ac minacibus verbis, tum factis insignibus stupendisq; testatur. Atque idem *b* facit Angelos suos, Spiritus, & Ministros suos flammam ignis. Apostolos verò, mysticè Duces Juda vocatos à Zacharia, positurum se prænuntiat *c* sicut caminum ignis in lignis, & sicut facem ignis in feno: & devorabunt, inquit, ad dexteram & ad sinistram omnes populos.

Ejusmodi Franciscus Xaverius extitit, Nuntius pariter Apostolicus, Indiarumque Apostolus; morum integritate, virginitatis flore, perferendi Evangelii celeritate, illustri felicique in animarum salutem ministerio, verè Angelus, ac planè vir divinus, igneo Prophetæ Thaumaturgoque Eliæ quam-simillimus. Nihil igne acrius & actuosius; nihil Eliæ ferventius, & ad divini cultûs restitutionem vindictamque efficacius. *d* Zelo zelatus sum pro Domino Deo exercituum; ait egregiè sibi conscius, Deumque ipsum testem alloquens Prophetæ; & sanctissimi sempiternique Numinis amore simul, odioque consceleratorum incensus mortalium. Quæ verborum faces vel impium Regem Achabum, vel paternæ superstitioni inhærentem Ochoziam arguentis! Nec molliter Elisæus, tanto dignus magistro discipulus, egit cum Joramo: parentum sacrilegia filio coram objecit: supplicis Regis expostulationem temerariam justa vehementique indignatione castigavit.

Quid Joannes, alter ille Elias? quàm graviter in Procerum Judæorum corruptelas exarsit! quàm severa Herodem incestum nota censor castissimus inussit! Vocem, præeunte Isaïæ vaticinio, se ipse nominarat. O solidam, & vivam, & ardentem penitus claramque vocem, omnium audientia populorum, omnium prædicatione seculorum dignissimam! *e* Ille erat lucerna ardens & lucens, ex Verbi oraculo: atque ex Bernardi sententiâ, ardens erat

*a* Deuteron. 4.      Hebr. 12.      *b* Heb. 1.      Psal. 103.  
*c* Cap. 12.      *d* III. Reg. 19.      *e* Joan. 5.



*in se ipso, vehementi austeritate conversationis; erga Christum intimo quodam & pleno fervore devotionis; erga peccantes proximos constantiâ liberæ increpationis.* Et Xaverius hunc triplicem ardorem ita conceperat, factisque expresserat, ut ipsum facile Joannem Baptistam dicturi fuerint, qui tali tantoque nomine Gasparem Barzæum, ex institutione Xaverii disciplinaque agentem, cohonestarunt Armuziani.

Atque ut ceteras illius ardoris partes hîc omittam, aliis locis tractandas; mirum est profectò, quàm liberè Franciscus Joannem Lusitaniæ Regem, pium quamvis & beneficum, propagandæ tamen fidei securiorem aliquanto Principem, admoneat sui muneris; ac judicii supremi terrorem, ob aliena delicta labesque præfectorum & magistratum Indicorum negligentius vindicatas, incutiat Apostolicis prorsus, & ignem divinum spirantibus epistolis. At verò mirabilior illa vis animi, quâ cum alios, Indos Japoniosque Reges, tum vel maximè Amangucianum Regem, foedissimæ libidinis mancipium, adeo fidenter in media ipsius aula barbarum objurgabat; ut focius, vir alioqui constans & apprimè religiosus, toto corpore perhorresceret, interpretatione emollire quidquam vetitus; atque ictum videlicet acinacis, ab irritato nunquam prius auditis & acerrimis criminationibus tyranno, in singula verba expectaret. Unde convenienter, in principio sacrae de Xaverio liturgiæ, voces illas Ecclesia sancti Regis Vatisque usurpat. *Loquebar de testimoniis tuis in conspectu Regum, & non confundebar.* Nam quid ego de illa spiritûs vehementia dicam, quâ Franciscus Præfecto Comorinensi, alterique Lusitano duci, Neophytos vexantibus, immanitatem exprobravit, minas intentavit? quid de illis concionum fulminibus; aut privata colloctione subiectis passim, & cuiusvis hominum generi, amoris divini facibus? Ubique homo igneus ignea verba loquebatur.

Verùm hæc propria quasi vox ignis est à Xaverio edita, **AMPLIUS.** *Tria sunt insaturabilia, quæ Salomon in Proverbiis enumerat: ignis verò nunquam dicit, sufficit.* Obvia quæque corripit; & proxima depastus, excurrit, tantò avidior; auctoque



auctoque cum flammis impetu, longius in omnem partem, ubi suppetit materia, latiusque funditur. Ita Xaverius virtutem suam explicuit; & inexplebile desiderium divinæ gloriæ, salutis animarum, accendit; ipsaque exercitatione vehementius incitatum, ad fines usque terrarum rapidissimè protulit. Quem animum luculentè jam inde à principio testatus & professus est.

Cùm enim *f* autor fidei consummatorque JESUS, ad promulgandum gentibus & regibus Evangelium delecto Xaverio, perinde ac Paulo *g* ostendere vellet, quanta opereretur eum Domini Deique sui causâ perpeti; laborum & plurimorum & maximorum imaginem dormienti objecit, mystico præfagoque somnio adumbratam. congestæ in fascem cruces innumeræ, ex omni periculorum ærumnarumque genere, sunt propositæ. Ac velut Paulo *h* in somnis obtulerat se species Macedonis, Apostolum ad opem suæ genti ferendam advocantis; visus est sibi Franciscus Indum humeris gestare, cujus mole usqueed premeretur, ut onus monte Pyrenæo, patriæ suæ Navarræ imminente, gravius sibi incumbere sentiret. At fortis excelsusque & palmaris animus, adeò non exterritus objectis difficultatibus, adeo non pondere imposito fractus est, aut impendentibus urgentibusque malis aliqua ex parte cessit; ut erectior insurgeret, graviora appetentissimè flagrantissimeque provocaret. Occurrebant maria immensa, scopulis & naufragiis infamia? amplius expetebat. Obversabantur vastæ incultæque terræ, aliæ squallentibus arenis torridæ, aliæ pruina geluque rigidæ? amplius exoptabat. Apparebant gentes, ipso vultu habituque toto barbaræ, cum Tartareis copiis in ejus exitium conjurata, saxa venenatasque sagittas in adversum dirigentes? parva illa tam ingenti animo videbantur: amplius, amplius requirebat.

Multas voces magnas, sed detestabiles in vitam humanam pervenisse, celebresque vulgo ferri, considerabat *i* Seneca philosophus; nullam adhuc se vocem audisse

*f* Hebr. 12. *g* Act. 9. *h* Ibid. 16. *i* De Clementia l. 2.



ex bono lenique animosam. Sed fuerit ista sanè profana nos inter homines bonitatis & lenitatis infantia: crebras quidem, & magnificas, plenasque animorum, à Christianis, bonitate & lenitate præstantibus viris profectas voces accepimus; nullam verò animosiozem, quàm Xaverianam, *amplius*. Hoc est; mihi malorum ista, quanta quanta est series, neutiquam satis est. quidquid intentatur, quidquid increpat, pro nihilo existimo. difficultatum illecebris capior: gaudeo periculis terra marique adeundis; periculis fluminum, periculis latronum, periculis in civitate, periculis in solitudine, periculis ex hostibus & falsis fratribus. pascor & delectabor fame & siti, vigiliis & jejuniis, frigore & nuditate, ceterisque ab Apostolo Paulo recensitis, vel dictu asperis, auditu horrendis. Quid enim vero dici fortius potuit ab exercitatissimo quovis heroe, ignem, rerum divinarum speculatione & agitatione animi diuturna collectum, effundente? Atqui Xaverius sic animum comparavit, obfirmavit, armavit, ut, etiam per somnum, tam præsentem, tam inusitatam heroicamque præster adversus ingruentia mala alacritatem. Sic insitum pectori crucis amorem excoluit, ut vocem quasi naturalem sopitus efferat, indicem paratissimæ ad acerba omnia toleranda superandaque voluntatis.

Nec verbis inflammatis ardor Xaverii stetit: rebus ipsis maximè clarissimèque eluxit. Æterni gloriam Numinis, animarumque salutem unicè assiduèque anhelanti, nihil usquam tam durum & molestum sese obtulit, quin avidissimè arripuerit: nec unquam satis amplam desiderio suo segetem ac materiem ærumnarum offendit. Contumeliam pro Christo gloriam duxit; dolores in deliciis habuit: Domini calicem amarissimum quò affluentius hauriebat, eò sitiebat ardentius. Certè in fœda sævaque tempestate, dum alii mœrore, ipse gaudio in lacrymas solvebatur; vitæque suæ autorem & conservatorem Deum obsecrabat, ut si huic se periculo ereptum vellet, in alia majora conjiceret.

Quod si patiendi tam cupidus, tam insatiabilis fuit Xaverius, quem sibi in agendo modum statuit? aut quid



in rerum est natura tam arduum, quod non fidentissimè sic aggressus, & suimet & hostium Dei, dæmonum hominumque victor egregius? Licet hîc mihi te, Xaveri, Goam Indiarum regiam appulsum, vocibus iisdem affari, quibus affatur Magnus & Leo Petrum, Romam terrarum dominam ineuntem. *Silvam istam frementium bestiarum, & turbulentissimæ profunditatis Oceanum ingrederis.* Fœdiores te in terra, quàm hæctenus mari, fluctus excipient; procellæ ab improbissimorum hominum importunitate, ab infernorum monstrorum furore sæviùs, quàm ab ulla ventorum violentiâ per Atlantici Indique Oceani decursum concitata, neque humanis artibus opibusque superandæ, toto deinceps Oriente jactatum curis infinitis negotiisque operosissimis exercebunt. Jam diversa per Europæ loca Asiaticæ proluseras expeditioni; Lutetiæ, Venetiis, Vicetiæ, Bononiæ, Romæ, Olyssipone tanquam rudimenta Apostolici muneris ita posueras, ut operæ ubique pretium faceres. Jam oram Africæ maritimam lustraveras; Mozambicum, Melindam, Socotoram, perpetuis frugiferisque in classarios incolasque laboribus obieras: urbem nunc inveheris vitiorum numero, quàm civium frequentiore. Hîc pseudochristianorum tibi labes curandæ, hîc ethnicorum superstitiones abolendæ, hîc facinorum omnium & flagitiorum purganda colluvio.

Quantum illud opus! quàm spissum! quàm impeditum! quod industriam certè virtutemque singularem postulet; solertis animosique viri, aut multorum potiùs eximiorum virorum vitam occupare queat & consumere. Enimvero quot jampridem homines religiosi, cùm Goæ unius ferè pomœrio animum operamque suam inclusissent, tot inveteratis pestilentibusque malis medicinam facere non potuerant; neque Europæos advenas, qui à Christiana sanctitate patriisque institutis spurcissimè degenerarant, ac ferme in Saracenos ethnicôsve mores defluerant, ad officium revocare, nedum gentes ipsas à religione verâ alienas ad Christum convertere & aggregare! Quid? me-



dio in Europæ sinu quotusquisque concionatorum satis efficacax invenitur, ut vel tenue oppidum imbuat pietate? Quin creberrimi oratores ne toto quidem seculo plerumque id assequuntur, multitudinis ut animos permutent, solutumque vivendi genus severioribus aliquantò legibus devinciant. Itaque magnum aliquid Xaverius effecisset, tam amplam tamque corruptam civitatem si multorum annorum culturâ ad frugem traduxisset. Sin arces etiam Lusitanorum finitimis locis constitutas adiisset, ibique præfidiarios instituisset ac sacramentis procurasset; gnavi sanè piique operarii famam laudemque jure optimo tulisset. At is, ubi Goæ omnia quæ jacebant vitiis prolapsa, excitavit; inter vulnera mentium Christianarum persananda, curationem aggressus infidelium, jam vela pandit ad ultimum Orientem provehendæ Apostolicæ charitati.

Jonas urbem petere Niniven à Deo jussus, refugit; atque etiam profundâ ceti marisque voragine emerfus, ardorem solis non sustinet, *zelo* interim *non secundum scientiam* æstuans; poenæque imminens civitatis quamlibet poenitentis, animi impatientia mortem ipse sibi imprecatur. At Xaverius, qui prima Divinæ voluntatis per Ignatium, animi sui moderatorem, significatione in alterum orbem evolavit; Oceanum permensus, zonam torridam prætervectus, ac vehementiori cœlestis amoris æstu succensus, interponit se ultioni quam denuntiat; iræque Domini placandæ intentus, & minis promissisque Divinis compulsâ ad poenitentiam Goâ, tot millium vel partâ vel speratâ salute lætissimus, vitam devovet ulteriori & interminatâ ad conquestionem animarum profectio.

Elias ipse, Elifæusque (ne Prophetas alios commemorem) vix aliquando finibus Israelitarum excessere: ac, sicubi Phœnicia & Syria profanas gentes attigerunt, nullam tamen publicam iis procurandis dedisse operam leguntur. Xaverius gentes omnes ardentissimo studio complexus, ubique concionando sacraque cetera obeundo ministeria, Evangelicum regnum ad fines terrarum amplificat. En, urbe Goâ progressus, jam Comorinum tenet,



jam Cocinum pergit, excurrit in Travancoridem, Cambaiam occupat, peragrat Ceilanum, Manaram invisit, lustrat Nagapatanum, Coromandelem trajicit. Labor alius ad alium gradus est. Quid auream Chersonesum, & Malacam loquar? quid Mauricas, Molucasque insulas? Amboinum, Ulaten, Baranuram, Ternaten, Macazarem? Longè alio, quàm Carolus ille Quintus animo, *l plus ultra* ferebatur semper; nisi aut necessitatis ratio, aut majoris certè utilitatis, haud prudentem minùs, quàm fortem virum & animosum revocaret, atque infinita mari terraq; itinera relegere, cursus replicare cogeret: sive gubernatio Sociorum, & supplementum Evangelicis colonis varias in partes mittendum; sive Neophytorum in vexatores propugnanda causa, potentium & improborum hominum fraus detegenda, vis repellenda. Sed, ut primùm res, quæ viri præsentiam domi, aliisve Christianorum locis desiderabant, ex munere atque ordine compositæ; illicò novos recursum instituere, ulterius fidem Christianam in immensum propagare.

Quot ille periculosis navigationibus inter scopulos & turbines, piratasque tempestatibus ipsis naviganti infestiores, defungitur! flectit promontoria, syrtes permeat, procellas aut frangit aut perrumpit. Quot terrâ sacras expeditiones, inter hostium prædonumque apertam insidiosamve grassationem, exequitur! cautes montesque superat, fluvios torrentesque tranat, pagos urbesque excolit, agris & silvis homines venatur efferatos, undiq; animarum prædas agit. Cupidius ille ex pietate, quàm olim ex ambitione Alexander, *m Indiam querebat Indis quoq; ignotam.* Plures provincias, quàm alii vicos, emensus; hominum plura millia, quàm alii capita, Christo lucratus; cum omnibus abunde cumulatéque satisfaceret, nunquam sibi satis ipse faciebat. Amplius usquequaque appetit; & præsentis successu animos acuens, longinquis in-

*1 Carolus V. Imperator columnas Herculis, quas præterierat, in symbolum assumpsit, hisce verbis ornatum; primâ vulgatæ inscriptionis parte, quasi metâ sublatâ.*

*m Curt. l. 9.*



hiat victoriis, crescente exaggerataque per difficultates cum laboribus virtute. Audit insulas eatenus Geographis ignotas, à Lusitanis inſitoribus deprehenſas. dolet ſcilicet Apoſtolus, eò priùs terrenarum opum aviditatem & commercium, quàm cœleſtium perveniſſe. Fruſtra repugnantibus amicis, fruſtra obnitentibus humani generis hoſtibus, in Japoniam penetrat: Saxumam, Firandum, Amangucium, Meacum, Bungum, tot alia regna perſequitur; eaſque demum in regiones, quibus nihil in orbe terrarum longius reperiatur, profert Eccleſiæ imperium. Ut piè gloriari Xaverio liceat, quod vanè jaſtatum à Pompeio fuerat, quam ultimam provinciam accepiffet, eam ſe mediam reddidiſſe.

Necdum tamen expletus animus eſt Xaverii. Sinarum vaſtiſſimo regno, muris & montibus altiffimis circumſepto, ſeverioribusque obſtructo legibus & inaccessis, aut irrepere, aut irrumperere, pià religioſaque vel induſtriã vel audaciã conatur. Cariffimo Pererix, ad tollenda repagula inviùmque regnum Evangelio aperiendum, operam egregiè navanti, & Luſitani Regis nomine, ad Sinarum Imperatorem adornatã legatione altiùs conſilium obtegenti, comitem ſeſe Franciſcus addixerat, myſticã n̄ pro Chriſto legatione fungi paratus. Mox ubi amicum, divinã tanquam ſcenæ & Religionis inſinuationi ſplendidè ſervientem, à Malaceniſi Præfecto per ſummam indignitatem prohibitum intercluſumque videt: tantã ſpe dejectus, non ideò propoſitum aut animum abjicit. Sed aditum ſollicitè omni viã rimatus, in ipſo denique procinctu occumbit; & quidem, ut ignitum virum decuit, igneã velut morte, febris, & amore magis deſiderioque cœleſti confectus. Nec verò extinctus cum vitã ardor eſt: adhuc in Epiftolis immortalibus *verbum ipſius quaſi facula ardet*, lectorumque pectora Divinã ſtudio gloriæ incendit. Et Franciſci (quod ait Maximus Taurinenſis de Laurentio, cujus in æde Xaverius habendis quondam concionibus Romæ ſacros ignes ſparſerat) *radiantibus flammis victrix in hunc quoque diem toto orbe Chriſti coruſcat Eccleſia.*

n̄ Pro Chriſto legatione fungimur. II. Corinth. 5.





## PARS CAPITIS POSTERIOR.

*Sufficit mihi, Domine: tolle animam meam.*

III. Reg. c. XIX.

**H**ICCINE est Magnus Elias ille, qui *surrexit quasi ignis*, cui elemento, Salomone ipsaque experientia teste, satietas nunquam, verum tacita quodammodo vox, *amplius*, conveniat. Saepe nimirum obruitur ignis: atque interdum, etsi vivat valeatque, improbam tamen contumacemque adortus materiem, languescere videtur & vinci, quod tardè laboriosèque vincat. Refrixisse, atque adeo congelasse Prophetam dixeris, illum, illum, qui modò tantum exhibuerit ardorem animi, Regem Achabum populumque congregatum acriter increpans; ac subinde, post ignem caelo devocatum, tot Baalis pseudoprophetarum caede calens, ante regios currus accinctus procurrerit, ipso quem excierat, nimbo propè concitator. nunc unius impotentis foeminae terrore percussum videas, humiq; prostratum; simul audias mortem à Deo suppliciter expetentem. Sic se res habet: maximos aliquando viros sibi relinquit Deus, & humani quid pati sinit, ut agnoscant se homines, néve Divinis ornati muneribus efferantur, imbecillitatis propriae conscii: cum, alacres prius effervescentesque agente Domini spiritu, postmodum isto cessante afflatu torpentes, remisso fractoque impetu consenescant.

At verò non eodem ex animi sensu, quo Eliae, Xaverii prorupit huic praefixa capiti vox altera, SATIS EST DOMINE;



haud semel illa, nec uno loco emissa. Non tædio, non metu cooriebatur hujuscemodi exclamatio; sed contrà liquefcente piis cœlestibusque deliciis animo, neque vim tantam largissimè suavissimèque influentis Domini capiente. Quamquam simile nonnihil fugæ, angorique Eliæ, Xaverio contigit: quod ipsum non culpæ, non dedecori vertendum, sed in laude Francisci ponendum. Ægritudinem animi & moestitiam persensit haud rarò vir Apostolicus, dum cerneret Evangelii progressionem obstantes, quos minimè decebat, acceptisque ab omnipotente Deo & pio Lusitanæ Regè muneribus abutentes in utriusque injuriam Præfectos ac Magistratus. id quod aliquoties vir sanctus in epistolis suis dolentissimè conqueritur. Quoties, inter molestissima Divinæ messis colligendæ impedimenta, gemitus illos usurpavit Davidicos! *Tabescere me fecit zelus meus.* Neque expers istius doloris Paulus fuit, sed vel maximè tali piorum amantium sensu affectus: prout ipsemet, epistolâ ad Corinthios posteriori, cetera ut fileam testimonia, profiteatur. *Non enim volumus ignorare vos, fratres, de tribulatione nostra, quæ facta est in Asia; quoniam supra modum gravati sumus, supra virtutem, ita ut tæderet nos etiam vivere &c.*

Enimverò æternitatis illi satores, quos magnificè vocat Hilarius, vitam sibi acerbam, & quavis morte graviolem sentiunt, ubi Religionis Christianæ cursus vel abrumpitur, vel retardatur. Quantus ergo Xaverii pectus dolor effodit, cum Sinica Legatio, de quâ sub finem prioris partis memoravi, in tantam proventus Evangelici spem, salutisque imperio amplissimo pariendæ, suscepta, per dirum nefas interversa oppressaque fuit; & ab eo quidem homine, de quo ipse optimè promeritus Xaverius fuerat, cum aliàs persæpe, tum recens ab Indiarum Prorege eidem impetratâ maritimâ præfectura! quam potestatem, usu primo juris iniquissimo, in autorem ipsum beneficii convertit, homo peræque in Deum impius, atque in Franciscum ingratus. Tulit hic (quæ viri sanctitas erat) præclara spectabilique lenitate animi, tam indignam, tam atrocem injuriam, quaque nulla acerbior unquam sibi acciderat



ciderat. neque, ut Elias, *petivit animæ suæ, ut moreretur*; sed vitam in usus rei Christianæ, mirâ patientiâ, mirâ Divinæ voluntati submissione reservavit.

Hæc adeo causâ viro alioquin Martyrii appetentissimo fuit, cur Eliæ nonnunquam fugientis exemplum sequeretur. Neque verò fortitudini repugnat fuga, quam prudentia, quam charitas imperarit. Quin Deo acceptior est, quæ tuendæ ipsius augendæque gloriæ serviat, capitis sui conservatio, quàm sanguinis profusio. & *aureolâ* martyrii, quam publicæ utilitati posthabueris, clariùs aliquomodo enitescat, suam martyrii cupiditatem vincens, ac de se ipso triumphantis animi palma verè lemniscata. Magnus Athanasius, in Apologia de fuga sua, exponit à Mose Dei jussu constitutas urbes refugii; à Christo discipulis indictam persequentium fugam; ab ipso vitæ mortisq; Domino, qui fugâ puerum se in Ægyptum deportari voluerat, jam miraculorum vi gloriaque spectato, jam morbos dæmonasque fugante, recessus tamen delectos & latebras, quibus hostiles impetus ad certum præfinitumque arbitrio suo tempus eluderet. *Non indignum putavit, cum quæreretur, abscondere se; & cum persecutionem pateretur, fugere & insidias declinare.* Quo scilicet factò præceptum salubre confirmaret, sanctæque disciplinæ sectatoribus formam ostenderet cedendi inimicorum furori. ut observat doctus ille pariter ac fortis, & in ipsa fuga invictus fidei propugnator.

Xaverius igitur, qui toties capitis periculis ultro sese objecerat, cum nihil in vita morte haberet optatius & martyrii laureâ; idem heroicam fortitudinem sapientiâ & charitate sic temperavit, ut subduceret interdum se barbarorum insectationi, cum animadverteret plurimarum gentium salutem suâ unius vitâ contineri. Sedit fugitivus Elias *subter juniperum*: ad necem à Saracenis conquestus Franciscus arbore conscensâ delituit. Aliàs Mauricensium lapidatione petitus, ac panè obrutus, apertè fugit: sed quantam in media fuga vim probavit! Obstabat currenti trabs immanis, ad oram fluvii; quam molem multorum simul hominum contenta molitio agrè



loco movisset. Hanc manu correptam Xaverius levissimè impellit, ac trabem veluti arundinem in altum projicit; projectamque insiliens, & quasi cymbam expeditam agens, repente in adversam latissimi fluminis ripam evadit, stupore defixâ turbâ seditiosorum, & novo spectaculi genere conterritâ. An verò mirabilior Franciscus extitisset, amnem si convoluto pallio, ut Elias, ut Elifæus, discidisset; aut, quemadmodum Franciscus alter, Paulanus, instrato pallio aquas ambulasset?

Itaque non imbecillitatis fuit, non timoris, quòd Xaverius fugit, viribus humanis superior; & qui passim liberrimâ acerrimâque superstitionis ac vitiorum censurâ, commentitiorum numinum disturbandis simulacris, exurendis fanis, iram turbulentæ multitudinis, principum impiorum furorē lacefferet. Ivit in adversa, intentaque Badagarum tela; Javarorum, venena hospitibus miscere, fidas vibrare solitorum, perfidiam & crudelitatem invasit; obtulit se Japoniorum tyrannorum & populorum immanitati, Brachmanum & Bonziorum atrocitati. Denique ad Sinarum carceres & vincula, externis regnum ingredi ausis proposita, ad præsentissimam & acerbissimam necem votis omnibus adspiravit. *Majores divitias aestimans thesauro Sinarum, ut quondam Moses, Ægyptiorum, improperium Christi; quanquam aspiciebat in remunerationem, velut idem clarissimus Testamenti veteris Propheta; amore tamen primùm ac potissimum Divino ardentè opprobria tormentaque, sic tanquam speciosa Domini suavissimi insignia o desiderabat, præclare consentiens, votisq; conspirans cum eo, quem patrem animæ suæ appellabat, Ignatio. Quàm crebrò id Xaverius, quàm enixè Dominum precatus est! Tolle animam meam, quod unum sibi sufficeret.*

Næ ille gratius omnium dono miraculorum habeat, si tandem aliquando fuerit concessum, ut quam legem tot usu linguarum promulgavit, sanguine toto obsignet. Et quidem istius generosi sanguinis partem misit voluntariis

*o Ut Christi vestes & insignia, piis religiosisque viris ardentè optandis scripsit D. Ignatius contumelias &c.*



poenis, flagellisque asperrimis frequentissimè; nec semel ab hostibus Christiani nominis acceptis vulneribus; saxis, fustibus, sagittis, flammis appetitus passim, & tantum non absumptus. Nec unquam inter adversa Francisco excidit hujuscemodi vox, *satis est*: sed quasi illecebrâ perpeffionis captus, medias inter vexationes abundans gaudio, quòd esset pro nomine JESU dignatus afflictatione & contumeliâ, triumphabat. Quamvis, instar Apostoli Pauli, distractus p̄ æstuanfque desiderio cernendi fruendique in cœlesti patria Christi; laboriosam tamen in exilio jactationem felicissimæ quieti anteponebat, publici commoderatione, & ipsius, cui necdum omnia videret subiecta, Domini charitate.

Atenim Deo cedendum, qui liberali se magnificaque vinci voluntate haudquaquam patitur; & famulo acerbitates avidissimè haurienti, flagrantissimè sitienti, infundit liquidissimas suavitates, omnemque planè sensum ac mortalitatem exuperantes delicias. Talem benignissimi Domini largitatem expertus creberrimè fuit pro suo merito Xaverius, nominatim in ora Piscaria, in Maurica insula, in ultimâ Japonia: quas ipse, cum scriberet ad socios, aptissimas esse regiones præ dulcissima lacrymarum vi perdendis oculis testabatur. *In terra horroris*, prorsus humano solatio destitutus, inter gravissima incommoda, versari in cœlo beatus videbatur.

Ea verò cœlestis lætitiæ vox; *Satis est, Domine, satis est*; Goæ præsertim excepta fuit; ubi, exemplo Christi, pernoctabat in oratione Franciscus, observatus nonnunquam à domesticis est; dum captans remotum ab arbitris locum, liberumque cœli conspectum, sacras inter adiculas in hortu inambularet, animo ex corpore eminens, totus à Deo suspensus, in cœlum defixis oculis, vultu incenso, diductâ à sinu tunicâ; prodens concalentis intra se cordis jucundissimum laborem, exardescente per altissimam meditationem igni, inundante consolationibus Deo. Jamtum videlicet inebriabatur ab ubertate domûs Divinæ, & tor-



rente voluptatis purissimæ potabatur. *Satis est Domine*; clamitabat, *satis est*. Pone modum largitati tuæ; parce angustia pectoris mei. Obruor, liquefco, deficio. Sustine irruentes in animum jam submersum delicias. aut si tantâ pergis me dignari suavitatis copiâ, *tolle animam meam*; transfer in *hortum* sempiternæ voluptatis, in superam Hierosolymam, quam procedentis à folio tuo fluminis, vivi, perennis, impetus lætificat.

O mirificum certaminis, Deum inter & hominem, genus; quo cælesti beneficentiæ sanctarumque largitioni deliciarum repugnat homo, labores ærumnasque provocat: hominem Deus acerba evocantem suavissimis donis cumulat & obruit! Jamque mutata sunt vices; ut Xaverio molestias amplius & dolores appetenti reponat, sufficit mihi tam proluxa, tam excelsa, pièque avida ferendorum malorum voluntas: sat esse gaudiorum succlamanti, amplius ingerat defæcata inexhaustaque suavitatis. Quin & Xaverius intelligens arbitri rerum supremi voluntatem, ut legitimo longissimoque emenso curriculo, sub ipsum emoriatur imperii Sinici aditum; demissè reverenterque acquiescit Divinæ legi; & *sufficit mihi, Domine; tolle animam meam*; voce intermortuâ, sed vivido immortalique amore suspirans, conversis collatisq; omnibus in æternam patriam desideriiis anhelans, illam demum Vatis Regii sententiam beatissimâ experienciâ comprobavit; *satiabor, cum apparuerit gloria tua*.

Hactenus de Xaverii gemina voce, quæ cœlestis extitit animi perfectæque virtutis index certissima, humanis casibus interrita, rebusque asperrimis inexpleta; Divinis contemplationibus exercita, verissimisque deliciis satiata. Qua tractatione si fortè modum videar excessisse commentariorum; habeo mecum facientes locis operum variis sanctos Patres. ac, ne dissimulem, ipsa materiæ benignitate captus, sensimque provectus, nec tamen inconsideratè, specimen edidi, quid fieri in hoc argumento possit. Reliqua deinceps capita brevius exequar: quod & forsitan oportet; & certè, quoniam me tempus deficit, opus est.





## CAPUT II.

Iconum Pari secundo respondens.

*Xaverius à terra divinitus extollitur inter  
orandum & sacrificandum &c. Tabul. III.*

*Xaverius inter lustrandos baptismo ethnicos ad  
Giganteam proceritatem excrescit. Tabul. IV.*

### PARS CAPITIS PRIOR.

*Elevabitur aquila. Job. xxxix.*

**A**QUILÆ dotes ac laudes profanis celebratas mo-  
nimentis volens sciensque prætermitto, cum ejus  
commendationem ab elogio ducere instituerim,  
quo generosam principemque volucrem dignatur, opera  
sua jure suo collaudans, rerum procreator atque admi-  
nistrator Deus. Nec tamen hinc persequar omnia, quæ ora-  
tione Divinâ significantur. in Aquilæ hærebo volatu  
& obtutu. Altissimè volat, acutissimè videt. *Elevabitur  
aquila, & in arduis ponet nidum suum... inde contemplatur escam,  
& de longè oculi ejus prospiciunt.* Quare ob altitudinem ani-  
mi, mentisque perspicaciam, cum aquila summi fuere viri  
comparati. *Aquila ipse est Joannes (inquit Augustinus tra-  
ctatu in ejusdem Joannis Evangelium xxxvi.) sublimium præ-  
dicator, & lucis internæ atque æternæ fixis oculis contemplator.*  
& autore Isaia; *Qui sperant in Domino, mutabunt fortitudinem,  
assument pennas sicut aquilæ.*



Quam q̄ firmâ vigerit spe Xaverius, declaravit coram Gregorio XV. Franciscus - Maria Episcopus Portuensis Cardinalis à Monte; cum extulerint se in Apostolico viro cuncta illa, *quæ cum tali spe, ait, indissolubili nexu sociantur; nempe despectus temporalium rerum, voluntaria ærumnarum per- pectio, aggressio difficultum, securitas in periculis, gaudium in ad- versis.* eaque mox adstruit decora singillatim illustribus è vita Xaverii argumentis purpuratus orator. Atque idem sub- inde, cum alias Francisci virtutes egregias, tum insignem exponit fortitudinem *in laboribus tolerandis & superandis heroicè* &c. Eminebat sanè in Heroe nostro fortitudo usq; adeo inusitata & exuperans, ut, quod notavit disertus vitæ scriptor Xaverianæ Tursellinus, *temeritas censei posset, nisi Divinis magis quàm humanis consiliis auxilijsq; niteretur.* Ecquid igitur spe Divina fiduciaque erectus, naturæ propriâ debilitate cum robore commutatâ Divino, alas velut aquilæ induit, ejusque sublimitatem volatus quodammodo affe- cutus Franciscus est? Altissimè evolavit contemplatione: & quæ mentis vulgò elevatio dicitur, Xaverio corporis quoque elevatio fuit. Ac si corpus, *quod corrumpitur, ag- gravat animam,* prout effatum Sapientis fert; molem suble- vat corporis incorruptus animus. Quanquam & ipsum, obnoxium atque obsequens sibi corpus, omni intentatum corruptelæ præstitit; ut posthuma tot annorum probavit integritas.

Habet hoc ignis, non modò ut emicet ipse in altum; sed ut iis, quæ pervaserit ac penetrarit, levitatem affe- rat. Sancti Spiritûs igne sic Franciscus exarserat, ter- rena a ut contagia non inficerent, pondera non depri- merent, Divina cogitantem, Divina patientem. Abstra- hebatur à sensibus, à terra abripiébatur: Supera quære- bat, ubi cor suum suo thesauro conjungeret; & intimo corde exæstuans, toto ore Seraphicus ardor erumpebat. O spectaculum illud, non solùm hominibus, sed ipsis lit- toribus & silvis admirandum; cum exscensione factâ se-

*a Terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem.*

Sap. 9.



sedens raptim in latebram silvestrem Xaverius, illic se se meditabundus in preces effundit; jamque requisitus ad repetendam navigationem, ecce tibi, extra se raptus clarissimaque luce circumfusus reperitur! & arcanâ vi suspensus, ipsos admiratione spectatores unâ suspendit. tametsi minor esset admirationi locus; quod ejusmodi non rara, sed pænè quotidiana acciderent prodigia. Occurrebat passim, *vultu adeo inflammatus, ut Anglicam prorsus charitatem repræsenteret.* quæ proxima verba ex Bulla Canonizationis usurpo. Atque hoc *Divini amoris incendium*, ut eodem in diplomate appellatur, maximè inter sacrificandum apparuit: quâ in Divina functione *aliquoties à terra elatus ab universa adstantium multitudine, miraculi magnitudinem obstupescente, ac servi Dei sanctitatem suspiciente conspectus fuerat.* Quid, cum populo augustissimum Christi corpus ministraret, novo pietatis more in genua provolutus? Nempe dum subsideret ex veneratione, sublatis fieri videbatur: ac re ipsa, atque in tempore elucebat promissi veritas Evangelici: *qui se humiliat, exaltabitur.* Quid, quòd & in familiaribus colloquiis attollebatur sensim in aera, flagrante vultu; & circumstantes amicos pio quodam horrore, ex repentino humanamque speciem excedente oris corporisque habitu, perfundebat? Adeò vel agentis in circulis *conversatio erat in caelis!*

Rerum despicientiâ terrenarum sublimis arduusque Xaverius, & usu continuo coelestium, perinde ac domesticus, ubique præsentis aspectu Dei suavissimè perfruitur. Quàm acutum cernit aquila mystica, in Solem justitiæ defixis & irretortis oculis! sive, dum privatim, & noctu diutissimè, & quoad licet, interdum, Deo sibi que vacat, gustat & videt, *quoniam suavis est Dominus.* sive, dum sacrosancta tractat altaris mysteria, *contemplatur escam*, quam suscipit, quam porrigit, vitalem, inconsumptam, omnibus & populis & seculis propositam. *Deum scilicet absconditum, invisibilem* b *tanquam videns sustinet*, Mosis per similes; ac fulgorem vultûs ex consortio affatuque Divino tam vividum

b Hebr. II.



## XAVÉRIUS

vibrantemque ducit, ut sæpe oculos præstringat intuentium, animos sui, tanquam hominis de cœlo delapsi, reverentiâ compleat. *Et gloriam Domini speculari, in eandem imaginem transformatur à claritate in claritatem, tanquam à Domini Spiritu.* Indidem acies illa mentis prophetica, quæ pectorum arcana detegat: vel terrâ, vel mari quæ contingant; quæ in Europa ipsa, Lusitaniaque propriè gerantur, cognoscat; olim, & ultravitam eventura suam, prævideat. Elevata contemplatrix aquila est: *de longè oculi eius prospiciunt.*



PARS





## PARS CAPITIS POSTERIOR.

*Magnus secundum nomen suum, maximus  
in salutem electorum Dei. Eccli. XLVI.*

**J**OSUE, Israelitici populi dux fortissimus, quem primum hoc Siracida spectavit elogium, quantus demum cunque extiterit, nominis quo erat insignitus, magnitudinem haud æquavit. Solus nominis tanti majestatem sustinere, amplitudinem implere **J**ESUS potuit; in quo, uti a Bernardus observat, expressa res fuit ac veritas; in ceteris, qui Soteris appellationem gessere, adumbrata. Salutem Josue peperit, sed uni genti, sed temporariam & caducam salutem: Christus & universam & sempiternam. Venit Franciscus in partem salutaris & augusti nominis, quo sua generatim consignata Societas est; quodque, similiter ac Paulus, detulit ipse, venerandumque gentibus & regibus proposuit. Maximus profectò salutis administer, cum Paulo & Barnaba dicere potuit, quod reapse præstitit: *Ecce convertimur ad gentes. Sic enim præcepit nobis Dominus: posui te in lucem gentium, ut sis in salutem usque ad extremum terræ. Act. XIII.*

Magnum Apostoli nomen, quod inter Ecclesiastica ministeria & munera dignitatis arcem obtinet, Xaverius est consecutus, non tam aliorum prædicationibus, aut Lusitanorum Indorumque consensu populorum, quam propriis virtutibus, quibus se Apostolorum ad vitam conformavit; ac donis atque miraculis,

a Serm. I. de Circumcis.

R

RS



quibus ad Apostolorum gloriam extulit illum Deus. Hæc in amplissimo orbis terrarum confessu, in Consistorio publico Nicolaus Zambeccarus pronuntiavit corâ Pontifice Gregorio xv. Alius verò Pontifex, Urbanus viii. sic ipse in Litteris Decretalibus Canonizationis Apostolatum Xaverii gravissimis verbis explicavit. *Inter ceteros, quos ad perficiendum voluntatis suæ sacramentum in tantarum gentium vocatione Dominus præordinaverat, egregius servus ejus Franciscus Xaverius, novus Indiarum Apostolus, gloriâ sanctitatis & meritorum splendore præcipuè emicuerat. Qui cum à juventute sua perfectè coram Deo ambulasset; spretisque ac conculcatis divitiis ac seculi dignitatibus, ac semetipso juxta verbum Domini abnegato, animam suam pro nomine Domini nostri JESU-CHRISTI tradidisset, dignus inventus erat, qui à Spiritu Sancto in tam insigne opus assumeretur: ac tanquam aliorum Dux Divinâ providentiâ constitutus, Apostolicis charismatibus affluenter decoraretur: etiam ob signa Apostolatus, quæ in eo in omni patientia, in signis & prodigiis, ac virtutibus, manifesta facta erant, novarum gentium Apostolus, unanimi totius Christiani orbis consensu meruerat appellari.*

Quòd novarum tantarumque gentium Apostolum dixit Franciscum summus Religionis Interpres; id ego, auctoritatis gratiâ, exponere Cardinalis à Monte, supra laudati, malim oratione, quàm meâ. Princeps hic S. R. Ecclesiæ, cum ageretur Xaverii causâ Sanctorum in ordinem referendi, Relationem, ut vocatur, super vita, sanctitate, actis Canonizationis & miraculis ejusdem Beati viri habuit coram Gregorio xv. Patrumque Purpuratorum Collegio. cujus Relationis luculentæ sub initium, de gentibus Evangelio collustratis ab Xaverio, ipsique delato ab hominibus Apostoli nomine, & Apostolici muneris à Deo collatis insignibus ad hunc modum differit. *Apostolis Apostolici viri successerunt, qui ab Sancta Sede missi Christum Dei salutem, ac veram mundi lucem aliis subinde provinciis prædicarunt. Hos inter servus Dei Franciscus Xaverius ita eluxit, ut in eo divini oraculi pars illa impleta esse videatur; & in fines orbis terræ verba eorum. Divino enim beneficio segregatus in Evangelium Dei, quâ immensa patent Oceani littora ad orientem solem, deduxit sonum Apostolorum, & in fines orbis terræ verba eorum.*



Nam ut taceam Indos, Brachmanas, & Malabares, ad quos aliqua Evangelii fama olim emanavit, & multorum seculorum aetatibus oblitterata Xaverii prædicatione revixit: ipse primus Paravis, Fais, Acenis, Mindanais, Molucensibus, ac Japonibus, Apostolico sanè spiritu, ac virtute, Evangelicæ lucis fulgorem induxit, & salutem annunciavit. Ultra quas provincias ad orientem solem nihil reliquum orbi terrarum habet.

Nuncius tamen ille hinc discessit Apostolicus, à Paulo III. Pontifice Summo missus, ut illis gentibus salutem nunciaret; & Apostolus inde revertitur. Hoc enim nomen Apostolicis factis primum in Lusitania obtinuit; deinde in India, Japonia, Sina, & reliquis Orientis provinciis conservavit. Communi enim omnium consensu nonnisi Apostolus nominatur. Meritoque tam honorifica appellatione dignus censetur, qui Apostolico sanè spiritu in tot provinciis Evangelium prædicavit; ita Domino cooperante & sermonem confirmante sequentibus signis, ut multa centena hominum millia doctrinâ & miraculis, Apostolorum miraculis simillimis, ab idolorum servitute ad veram libertatem filiorum Dei traduxerit, in fide instituerit, & propriâ manu baptizaverit; inter quos Reges ac Principes non pauci numerantur. Quod Apostoli nomen, ab hominibus servo suo tributum insigni miraculo Deus confirmasse videtur: cum illi non solum miraculorum, sed etiam linguarum dona concesserit, quibus olim Apostolos Hierosolymis ad prædicationem Evangelii armavit. (Quo de linguarum dono idem Cardinalis explicatiùs in eadem Relatione, ad calcem primæ partis) Diversarum namque gentium linguis, quas non didicerat, cum eas Evangelii causâ adiret, ita eleganter & expedite loquebatur, ac si ibi natus & educatus esset. Et contigit non raro, ut eum concionantem diversarum nationum homines, suâ quisque linguâ planè & politè loquentem audiverit. Id quod pro maximo miraculo ab ea gente habitum, non solum auxit venerationem Xaverii, sed multos etiam ad fidem convertit. Voluit enim Deus, qui illum ad prædicationem Evangelii in illis provinciis segregarat; ut, sicut in ceteris Apostolicum spiritum acceperat, sic etiam dono linguarum Apostolis similis esset: & ut non solum spiritus fervore eximio, sed etiam variis linguis magnalia Dei ubique loqueretur. Ita Præfectus ille sacris Ritibus Cardina-



lis cùm suam referret Collegarumque de Francisco Sanctis adscribendo sententiam.

Age nunc, quoniam pertinere ad Apostoli gloriam videtur provinciæ, in qua elaboravit, amplitudo; quam fortitus est regionem laborum suorum curriculum, Xaverius? Indiam; non qualem noverat antiquitas, sed qualem audax felixque proximorum tandem seculorum invenit descriptique solertia. *Quæ barbaria Indiâ vastior?* aiebat M. Tullius. Et verò *Alexandri Magni comites*, ut est apud Plinium, *scripsere Indiam tertiam partem esse terrarum omnium, multitudinem populorum innumeram.* Atenim plenius ea nunc explorata, non pars orbis terrarum, sed orbis alter vocitatur. Ergo cùm Apostolum audis Indiarum; cave, cogitationem provinciâ, quam Indus perfluit, provinciarum licet maximâ, coerceas: verùm animo complectere immensos, qui ultra Gangem excurrunt ad Orientem tractus, in quibus Apostolica Xaveri charitas desudavit. Adde continenti insulas, quibus & plurimis & peramplis confitus Orientalis est Oceanus; Japoniam præcipuè, sex & sexaginta regnis distinctam; quem sibi aliisque ingentem laboris Evangelici campum Xaverius aperuit.

Nam quis eas Indiis oras accenseri neget à Pontifice, dum Xaverio tributum communi & unanimi totius orbis Christiani consensu plausuque Apostoli cognomentum, Apostolica supremaque autoritate comprobatur & sancitur? An parum suam ipse mentem, Indiarum nomine quid significaret, eodem instrumento declaravit, jam novarum gentium, jam novi orbis Apostolo nuncupando? Nisi fortè dubitari potest, eas honorificentissima appellatione Pontificem complexum esse gentes, quibus à Francisco primum Evangelii testatur lumen illatum, Paravis, Malais, Jais, Malacensibus (vel Molucensibus, prout in Actis Canonizationis emendatissimis legitur) Acenis, Mindanais & Japonibus. Hoc itaque intelligatur, cùm Apostolus nominatur Indiarum; novarum Apostolus gentium, sive antiquis penitus ignotarum, seu repetito post multa secula commercio ab Europæis aditarum; quas vel primus Evangelio Franciscus imbuerit, Cœli Romanæque Sedis Nuntius; vel apud



quas olim auditam receptamque, sed ex animis deletam, Religionem Christianam instaurarit. Huc illud spectabat de Xaverio, Novi Orbis exituro Apostolo, vaticinium percelebre, jantum cum is Lutetiæ daret operam litteris, editum ab ipsius sorore Maria Magdalena, religiosissima virgine. cui vaticinio publica nationum Christianarum vox resonat, & Pontificium accinit oraculum.

Sed quid ego plura de magno Apostoli cognomine disputem, cum discere ab ipsomet Francisco liceat, quem sibi maximè titulum adoptarit? Suum ipse Marcellum docuit Mastrillum, ubi se illi coram videndum præbuit, deposito salutem afferens ( quæ res carmine jam delibata, suo loco distinctiùs exponetur; ) verbaque prævit, quibus æger moribundusque Deo se in expeditionem Indicam devoveret; ac subinde, quibus Divinæ Crucis particulam, ipsanothecâ inclusam, veneratus, ita precaretur. *Gratiam fundendi pro te sanguinem, quam Indiarum Apostolus Franciscus Xaverius post tot exantlatos labores consequi non meruit, mihi licet indignissimo largiaris.* Hæc ipsa verba Latinè, ut jacent, quæ Mastrillus, ore secutus dicentem, postea manu consignavit; hæc, inquam, cœlestis ille medicus, & Apostolicæ expeditionis antesignanus præiit verba; pristinam animi sui demissionem, & adhuc quodpiam, si fas est dicere, martyrii tot olim votis negati desiderium spirantia.

Verùm, quod ad præsentem attinet quæstionem; eni Apostoli nomen ratum Xaverio, quale instinctu Divino ab Ecclesia constitutum. Justo amploque nihil additum nomini voluit: Indiis Japoniam non apposuit, quod hæc illarum nomine censeatur. Proinde cum formulam consuetorum in Societate JESU votorum pedetentim Marcello præiret, alio inserto de Orientali profectioe voto, Japoniam spectante, hæc omnino verba dictavit. *voveo... præcipuè Apostolicam missionem Indicam... juxta decreta Sancti Patris Francisci Xaverii de Indica expeditione edita.* Atque ut clariùs appareat Indiarum nomine Japoniam contineri; Mastrillus idem, post Mindanaensem victoriam,



cujus autor extiterat, contendente insularum Prorege Philippinarum, ut incertos periculososque fructus Japoniæ, quam præclusam sciret ac ferme impenetrabilem, certis ac præsentibus in Mindanao colligendis fructibus posthaberet; negavit id sibi jam integrum esse, voto de Missione Indicâ nuncupato. Solam namque Indiarum petendarum nomine & sponsione Japoniam semper à se cogitatam fuisse & designatam.

Quamobrem satis fuerit Indiarum Apostolum vocare Xaverium, Japoniæ non satis. Neque enim Japoniæ vocabulum Indias, quemadmodum Indiarum vox Japoniam ex usu comprehendit. Standum est prorsus nomine solenni, legitimo, ab Ecclesia decreto, consecrato: nec committendum, ut Xaveriani tituli gloria corrumpatur, dum ejus vel amplitudo mutatione (id quod à nonnullis factum est) vel, quod ab aliis, ipsâ additione minuitur auctoritas.

Jam istius Apostolici muneris ornamenta & præsidia non uno suprâ loco perstricta sunt, aliisque infrâ locis attingentur: hîc magnitudo spectanda nobis est viri Giganteam ad speciem inter baptizandum excrescentis. Cinceum, ad oram Sinensem insula, Æthiopum Indorumque ac remotissimarum insularum commercio celebrata, mirabili theatrum spectaculo præbuit. Stupenda Xaverii facta, crebris jactata sermonibus, barbaros convenas ad Thaumaturgum illum contuendum alliciebant: & aliquando in navim, quâ Franciscus vehebatur, ad sexaginta spectatores confluerant. Quos ipse divinitus ad se adductos interpretatus, ut erant jam Doctoris tanti veneratione occupati, facile ad Christianam Religionem perduxit, & baptismo lustrare cœpit. Interim Lusitanis, in littore stantibus, major se ipso, & more hominum solito altior videtur. Ac primùm suggestu evectum rati; deinde, ubi cernunt loco mutato eandem tanquam Gigantis granditatem, scilicet admiratione correpti, vix oculis credere, propiùs accedere, intentiùs observare, navim conscendere. Tum verò haud falsâ imagine se delusos comperiunt: vident tabulatis insistentem, ut ceteros, Franciscum, at noto



majorem, Giganti similem; longissimè porrectis manibus vitales aquas Catechumenorum infundentem capitibus; sacro denique ritu perfunctum, quasi in se subsidentem, ad priorem formam habitumque communem se recipere & colligere.

Quod Xaverius semel apparuit, semper fuit, Gigas, animo quidem, ingens, præcellus, eminens; nec non & robore & celeritate. Laudat Pontificium Canonizationis Diploma *assiduos labores, quos ultra humanas vires pro gloria Dei toleraverat. Indutus virtute ex alto, indefessa charitate, ut ibidem legitur; b semper mortificationem JESU in suo corpore circumferens, c provincias innumeras pedibus, & sepe nudis peragravit; cursu incitatissimo per calentes arenas, per nives ac glacies, per saxa & vepres, cruentis passim barbaras terras vestigiis impressit. Exultavit ut Gigas ad currendam viam. Currendam dico? volatum dixerim veriùs, quàm cursum. Elevatum antea Xaverium suspeximus, ut aquilam: cum eadem, quàm nulla avis volat vehementiùs, ad prædam, ad escam festinante Xaverianam jure pernecitatem contulerim.*

Sed nihil aquilæ velocitas ad rapiditatem Gigantis regiã voce cantati; Solis videlicet, qui ab extrema cœli plaga progressus, ad extremam alteram expedito cursu pervenit. Quin Xaverius, perinde atque Onias, Sol appelletur? *d Quasi Sol resurgens, sic ille effulsit in templo Dei. Hic sanè vir eximius; at unius Hierosolymitani templi & oppidi, populique Israelitici curâ cultuque commendatur: ille, datus in lucem gentium, perfecit, ut e magnum esset Dei nomen in gentibus, ac templis innumerabilibus per vastissimas regiones Orientis coleretur. Soli quidem adverso motu, sed eadem incitatione prosiliens, orbem terrarum ab ultimã ad primam oram, summã cum alacritate, percurrit. Verè f Sol in aspectu annuncians in exitu, vas admirabile, opus Excelsi, in meridiano exurit terram: & in conspectu ardoris ejus quis poterit sustinere?*

Solis forma si spectatur, à Davide cum sponsi è thalamo prodeuntis ornatu & splendore composita: Xaverio ( ne

b Cor. 4. c Offic. Eccles. d Eccli. 50. e Malach. 1. f Eccli. 43.



XAVERIUS

quid intimâ de pulchritudine animi loquar planè inex-  
plicabili) quanta inerat dignitas oris, & à naturâ qui-  
dem insignis, verùm illapsu Divino flagrantis atque emi-  
cantis suavissimè, & spectantes mirâ complentis volupta-  
te! Si tantâ cum celeritate conjuncta prædicatur efficien-  
tia, cui se nemo subtrahat: Xaverius non velocitatem  
magis, quàm benignitatem vimque primarii sideris exhi-  
buit. In omnem partem ita discurret, ut Angeli manu,  
tanquam *g* Habacuc & *h* Philippus, huc atque illuc trans-  
latus esse videatur, nihilque agere agitatione tantâ po-  
tuisse. id egit tamen, ut qualibet in regione, qualibet in  
urbe, quam lustravit, omnino videatur consedisse, cu-  
ramque omnem & operam in ea parte prorsus defixisse.  
Num se illius ardori genus aliquod subduxit hominum?  
Catholicos, heterodoxos, Judæos, Mahometanos, Ethni-  
cos; nobiles, plebeios, heros, servos, nautas, milites,  
ægros, captivos, ætatem omnem, omnem sortem piâ sol-  
licitudine aggressus; *omnibus omnia factus, ut omnes lucrifa-*  
*ceret;* animorum multitudinem Christo adjunxit infinitam.  
Numerum sanè iniri certum haud posse, prudens est fa-  
cundi & ingeniosi Bartoli sententia; cùm hic duodena,  
istic vicena, illic quadragena, alibi centena hominum  
millia Christianis imbuisse mysteriis Xaverius legatur;  
jam oppidum, jam insulam, jam regnum Ecclesiæ aggre-  
gasse; nonnunquam civitatem universam uno die sacris  
aquis tinxisse; ut, præ labore deficientes concidentisque  
manus, sustentandæ illi fuerint, quemadmodum olim  
Mosi. At hic sublatis effultisque manibus internecionem  
hostium; Xaverius eorum, quos prius *i* inimicos Deo  
reconciliabat, salutem promovebat. Multa certè homi-  
num centena millia, quod extat in Bulla Canonizationis,  
vitæque ipsius *k* sacro compendio, ad Christum conver-  
tisse Franciscum agnoscit Ecclesia. Quodque magnificen-  
tius ex Divinis litteris effatum Urbani VIII. post Grego-  
rium XV. à me jam partim notatum est in Præfatione;  
*Multarum gentium pater, filios quos CHRISTO JESU*

*g* Daniel. 14.

*h* Act. 8.

*i* Rom. 5.

*k* Officii Ecclesiastici lectio.

ge-



generat, super stellas cœli, & super arenam, quæ est in littore maris, multiplicatos vidit.. Orientalium Indiarum Apostolus ab universis Indiæ regnis, totoque Christiano orbe appellatus.

Operum tantorum autorem, Gigantem aliquis centimanum poeticè finxerit: at ego nihil hîc fabulæ admistum velim. Cum illo Xaverium potiùs congruentiusque Angelo compararim, què describit Joannes Apocalyps. c. x. *Angelum fortem... & facies ejus erat ut sol, & pedes ejus tanquam columna ignis... & posuit pedem suum dextrum super mare, sinistrum autem super terram. & clamavit voce magna, quemadmodum cum leo rugit.* Ecquid Xaverio species talis convenit, Apostolico Nuntio; viro, ut qui maximè, forti; visis cœlestibus illustrato, ad cursum Evangelicum igneo; laboribus maria terrasque jungenti; in scelera, tyrannosque ipsos potentissimos intonanti? Aliam, si fortè quæris, ex augustis ejusdem Joannis Ezechielisque monumentis figuram suppeditabit mysticum animal quadriforme; perspersum oculis, compluribus & alis & manibus, ipsisque oculatis, instructum; vivido Spiritûs impetu gradiens *in similitudinem fulguris coruscantis.* Habes uno multiplicique symbolo vultus, hominem, leonem, bovem, aquilam referentis, collectas Francisci cum benignitate fortitudinem, cum agilitate firmitatem. habes humanitatem in tractandis hominum ingeniis, fidentiam in periculis, patientiam in ærumnis, perspicentiam in obscuris. Non ille acutior ad intelligendum, quàm expeditior ad subveniendum; neque in suscipiendo alacrior, quàm constantior in exquendo.

Circumspiciebat solertissimè, quid vel opus esset vel consentaneum & populis, & singulis, quibuscum ageret, nec rarò semotis etiam hominibus: cuncta cœlesti sapientiâ, Propheticaque luce pervidebat. Ubi verò *ostium apertum*, quamvis *adversarii multi*, eò confestim advolabat; corporibus animisque subsidium efficacissimè adhibebat. institutionem, consilium, hortatum, preces, minas, promissâ amicissimè prudentissimèq; conferebat. Nec manibus in exhibendo elephantiacis ministerio; nec ori in purulentorum teterrimorumque ulcerum sanie exfugendâ, nec sanguini ipse suo parcebat, quem flagellis ferreis ad ex-



piationem alienæ culpæ, ad exemplum pœnitentiæ, liberalissimè effundebat. Sic totum se mortalibus impendebat ac superimpendebat cum Paulo Xaverius, planè *magnus secundum nomen suum Apostoli, maximus in salutem electorum Dei.*

Veteres illi Romani ex devictis gentibus nomina tulere, spolia terrarum, & cladibus parta populorum; qualia fuere Africani, Asiatici, Germanici, cum earum tamen regionum partem ambitiosi prædones minimam domuissent. At Xaverius magnum & immortale nomen sibi peperit salute plurimarum & maximarum nationum, quas Christi suavi jugo submisit; verè Indicus appellandus, & Magni cognomine dignior longè Alexandro, qui vix Indias attigit, nihil vitiis majus & illustrius habuit. Franciscus omni virtutum genere maximus & clarissimus, in Oriente discussa superstitionis atque impietatis caligine, merito suo, rebusque summa cum laude gestis, Apostolus prædicatur Indiarum, quàm latè Indias novarum complexione gentium patere jam demonstratum est. Neque hisce tam vastis regionibus definita circumscriptaque Xaverii gloria fuit; *Quem Deus adeo magnificaverat, ex Pontificis Urbani pronunciato, ut nomen ejus honorabile esset apud omnes gentes. Nulla quippe, ut affirmat Cardinalis à Monte, natio est in orbe Christiano, que Xaverium eximie sanctum non prædicet; ubique terrarum (quod in officio legitur Ecclesiastico) novis maximisque fulgentem miraculis.*







### CAPUT III.

Iconum Pari tertio respondens.

*Xaverius aquam caelo evocans.* Tabul. v.

*Xaverius ignem terra excitans.* Tabul. vi.

### PARS CAPITIS PRIOR.

*Oravit; & Caelum dedit pluviam.* JACOB. v.

**I**NGENS beneficium & argumentum est Divinitatis, pluvia. Unde quærit Jeremias c. xiv. *Nunquid sunt in sculprilibus, qui pluant; aut cæli possunt dare imbres?* Et Act. item xiv. Paulus cum Barnaba ad Lystrensem populum, sacrificia sibi, tanquam diis adornantem, conclamant de vero ac vivo Deo; *Non sine testimonio semetipsum reliquit, benefaciens de cælo, dans pluvias.* Quam utilis, quam necessaria pluvia sit, gravi malo suo persensit a Achabus rex, universumq; regnum Israeliticum, ab Elia cælo clauso, cum exaresceret omnis humor; terræque inductâ sterilitate, homines animantiaque omnia contabescerent.

Misericordia tandem commotus Deus, ut imbrem ac fertilitatem sitienti exsuccoque solo, & populo miserè pereunti daret, jussit Eliam Achabo se sistere. Injuriosè Propheta ab impio Rege appellatus, ipsum jure ac vehementer redarguit. Convocato deinde in montem Car-

a III. Reg. c. 17. & 18.

Lij



melum populo, exprobratâque Dominum inter ac Baalem fluctuatione, conditionem proponit amplectendæ Religionis, ac rationem veri Numinis dignoscendi; ut instructis aris victimisq; impositis, neque igni subjecto, utervis à cultoribus suis invocatus *exaudierit per ignem*, pro Deo habeatur. Probatâ acceptaque conditione, ignem à Baale suppliciter poscere instituunt pseudoprophetæ; nec voce tantum, sed etiam cruenta corporum suorum lanienâ, per diu, sed frustra instant. Vesanis hominibus & sacrilegis ubi amarè insultavit Elias, populum ad se traducit. extructo ad sacrificium bove, simul invocat Deum, simul ignem evocat: quo penitus victima cum rogo substructo, ipsoque altari lapideo consumpta publicam à populo exprimit confessionem venerationemque summi unicusque Dei. Tum iustos comprehendi pseudoprophetas Divini cultûs assertor vindexque ardentissimus interficit: expiatâque hoc altero sacrificio terrâ, pronus accidens jam propitiato Deo, nubes ventosque excitat, optatam salutaremque pluviam impetrat.

Affine huic Eliæ factò factum Xaverii miraculumque conspexit Ulate, insulæ cognominis urbs, quam arctè circumfessam hostis telo tormentoque acerrimo sitis premebat, fontibus, unde hauriebant cives, interversis. Æstuabant eo maximè tempore omnia; nec spes ulla pluviae opisque supererat. Occasionem arripit Xaverius; urbi furtim se insinuat, Regem inclusum mœnibus adit, desperatione jacentem erigit: aquam de cœlo pollicetur, dummodò ipse vicissim paciscatur, ac spondeat, Christianum se suosque baptisma accepto pluviae subsidio rite suscepturos. Quid multa? persuadet facilè Regi necessitas, quidquid exigitur: signum salutis, Crucem excitat ingentem Apostolus, magno populi concursu, magnâ omnium expectatione. Ad hanc mundi *aram maximam* humillimè procumbens dat sese in preces; offert Coelesti Patri largum immensumq; expetiti imbris & necessarii pretium, Filii sanguinem, quo benignissimè Crux redundavit. Fusas preces continuo sequitur, obvoluto subitis nubibus aere, imber densissimus, qui desiderii obsessorum abunde satisfaciat, obsidentium spes artesque obruat.



Vides, quàm egregiè fidem suam Franciscus urbemque præsentì auxilio liberet, hostium repentino discessu, quibus victoriam non armorum vis, sed aquarum civitati subductarum inopia præstabat? Neque verò fidem Ulatensis fallit Rex, ac felicioribus aquis perfundendum libens gaudensque sese præbet: & prioris beneficii compotes, insularum sibi subditarum populos, in hujusce multò amplissimi prorsusque Divini doni ac muneris consortium vocat. Unà omnes, & hominum in cladem suam imminenti metu, & terribiliorum hostium, qui sub aspectum non cadant, potestate sævissimaque tyrannide soluti, libertatem sibi geminam eadem operâ salutemque confectam Xaverio gratulantur. Sic Elias aquam sanguine elicit; Franciscus aquâ sanguinem prohibuit. Uterque populum, concessâ pluviâ, ad debitum vero Numini cultum obsequiumque compulit: sed ille ad Mosaicam Religionem penitus revocare Israeliticum Regem non potuit; hic Regem Ulatensem Christiana Religione initiavit.

Adjuncta duo insignia mirabile facinus istud Eliæ, aquam cœlo deducentis, habuit; quibus nihil in hac quidem imbris evocatione Xaverianâ respondere, sed alia duo Xaverii præclara facinora esse cognata animadverto. Propheta, ultione peractâ, monitòque Achabo pluviâ appropinquare; jubet, dum precibus ipse incumberet, famulum de montis vertice prospicere in mare, ecquid novi appareret. Cumque is, nihil à se conspectum, referret; mandat Elias, ut iterum prospectet, ac sapius. Qui septimâ demum vice renuntiat, nubeculam è mari existere.

Quid Xaverius? Cùm abrepta vi tempestatis fuisset à navi scapha; desperato à ceteris ipsius reditu & salute, solus incolumitatem ejus certam promittit, reversionem expectandam affirmat. Crebrò ardentèrque repetitis ad clementissimū Jesum obsecrationibus & lacrymis effusus, navarchū epibatasque urget identidem, ac repugnantibus instat constanter, ut conscenso malo scapha adventans requiratur. Sæpe diuque irritâ speculatione, tandem puer intentos ad malum rudentes sublimis obtinens, miraculum scaphamque exclamat. Confestim omnium animis oculisque in



eum, quem puer indicabat, maris tractum converfis, ecce scapha, quæ vel hausta fluctibus, vel remota longiffimè putabatur, salva cernitur; & quamvis turbido mari & adverso, rectà expeditèque ad onerariam per se ipsa remeans, moerorem desperationemque nautarum & vectorum in repentinam gestientemque lætitiã convertit.

Alterum commemorabile parergon occurrit, Divinus Eliæ illapsus impulsusque, jam ruente nimbo. *Et manus Domini facta est super Eliam, accinctisque lumbis currebat ante Achab.* Hic verò Franciscum mihi videre videor, non Regis alicujus præcurforem, sed mercatoris Japonii pedissequum, ut sibi ignotam perplexamque viam ad urbem regiam Meacum aperiat: Nuntium illum Apostolicum, servi indutã personã, heri farcinã sacroque ad obeunda Christiana mysteria instrumento suo gravatum; mediã summãque hieme per confragosas silvas abruptosque montes, per restagnantes paludes ac torrentes rapacissimos, per saxa & senticeta, per nives acutissimo gelu duratas, & lubrico rigentique solo fallentes vestigia simul & sauciantes, nudis lacerisque & cruentatis pedibus affectari barbarum, effusè, latronum metu, equitantem, vilissimique mancipii numero habentem & ordine Xaverium. Miranti, causamque tantæ demissionis atque intolerandi laboris quærenti, sanè ex ore Pauli respondeat; *Charitas Christi urget nos.* Christi, cujus gratiã tot illa tamque gravia incommoda, & omnia superbissimæ gentis atque infimæ multitudinis ludibria jucundissimè avidissimèque voravit.

Ad hanc nostram commentationem accedant Mosis Eliæque miracula, quæ non pluviam, sed tamen aquariam necessitati publicæ opem attulerunt. Siti laborantem tumultuantemque populum recreavit Moses, dulcem ex amaris aquis potum suppeditans: piorum hominum rogatu, qui filii, seu discipuli Prophetarum appellantur, Elifæus tristes noxiasque sanavit Jerichuntinas aquas. Et utrique factò consimile edidit Franciscus miraculum, quod in sacris factis ex Bulla Pontificia exscriptum atque his verbis contractum legitur. *Tantum marinæ aquæ solo Crucis signo convertit in dulcem, quantum quingentis vectoribus, qui siti adigebantur*



ad mortem, diu suffecit. quâ in varias quoque regiones asportatâ ægri plurimi subito curati sunt. Ita secundum extitit miraculum, ab uno mille aliis totam per Indiam propagatis miraculis.

Jam verò quòd Moses in solitudine bis aquas rupe elicit; quòd Elisæi jussu in arido Idumææ deserto effossis alveis aquæ, nullâ vel humi scaturigne vel nubium fluxione, innatarunt; an minùs admiranda videbuntur, quæ non Franciscus ipse præstitit, sed quæ sacrosanctis ipsius monumentis accepta populi retulerunt? Ad Cruces passim Francisci manu depactas habitâ Indorum supplicatione, coortis derepente nubibus, optati imbres affluebant. Adeo ut, qui Magnus, qui Sanctus vulgo dicebatur Pater, etiam *b* pluvie Pater ex Divinâ apud Jobum voce & beneficentia potuerit nominari.

Alia quoque (ut institutæ Xaverianorum in hoc genere beneficiorum considerationi cumulum addam) vel necessaria vel opportuna ad sustentationem corporum vitæque usum, Francisci munera suppetunt, miris Eliæ atque Elisæi beneficiis gemina. Oleum ambo Prophetæ multiplicarunt, quod non largius in utilitatem egenorum, quàm in beneficiorum gloriam fluxit. Nec parcior aut in egentes, Francisci, aut Dei in Franciscum munificentia. Erat hoc Apostolico viatori in more positum, ut si quid secum in navim com meatûs inferret, id totum itineris comitibus divideret inopibus; stipe corrogatâ se ipse toleraret. Itaq; exhausto, quam tenuis viatici partem navi imposuerat, olei gutto, supervenit qui oleum rogaret. Neque cunctatus, mandat socio largitionem Xaverius. Ille qui jam inanem guttum invertisset, negat liquoris vel stillam inperesse. At jussus recognoscere, guttum repletum admirabundus reperit, affatimque oleum tribuit roganti.

Equidem panes, ut ab Elia, ut ab Elisæo, suppletos aliquando & multiplicatos ab Francisco haud memini: sed aureos, quos nullos habebat, nummos divinitus in tempore subministratos, naufrago mendico erogasse legi. Et verò

*b* Quis est pluvie pater? Job. 38,



ipse pauperum ac miserorum in usus apparuit multiplex. Certè scapham, de quâ paulò antè narravi, ita visus est gubernare, vectorésque solari coràm & animare, nullum ut timori locum relinqueret apud homines, qui tam propè ab exitio fœdissimam inter procellam abessent: vixque habere fidem, in navim recepti, potuerint asseverantibus Patrem in oneraria perstitisse. Aliàs etiam duobus simul in locis comparuisse Franciscum, sagacis est Bartoli, certissimis nixa testimoniis maximisque autoritatibus, observatio. Verùm ad prabitæ egentibus annonæ beneficium ut redemam; Paravis, Badagarum incurfione sævissimorum hostium, in desertas penitùs insulas, aut syrtes potiùs merasque arenas disjectis, atque ab omni victu imparatis, cura plusquam paternâ summâque festinatione succurrit Xaverius; & vicenis commeatu cymbis oneratis, carissimos sibi Neophytos à fame, ab interitu vindicavit. Quod Xaverii factum si minus admirabilitatis habuit, quàm illud annonarium Eliæ Elisæique miraculum; plus quidem, ausim dicere, veræ solidæque laudis meruit; operam exercitationemque charitatis majorem exhibuit. Uno verbo, aut tacitâ precatatione, ex Divinæ thesauro clementiæ ac potentiæ, superiores illi Prophetæ domestica frugum incrementa deprompserant, & uni providerant familiæ, suo ipsi beneficio fruituri: at genti universæ laboriosissimam opem tulit, nullo fructu suo, novus & opere potens Prophetæ & sermone.

Quid, quòd infestus Israelitis Elias *c* induxit in illos famem? *d* quando, ut loquitur Christus Dominus, *clausum est cœlum annis tribus, & mensibus sex.* Contrà Xaverius, *e* fame non panis nec siti aquæ, sed verbi Domini depulsâ, Cœlum Indis per decennium aperuit. Ille *f* Cœlum æneum reddidit, pluviâ tanto tempore cohibitâ: hîc mollito Cœlo evocavit *g* pluviâ voluntariâ, quam segregasti Deus hereditati tue.

*c* Eccli. 48. *d* Luc. 4. *e* Amos 8. *f* Deuter. 28. *g* Psal. 67.



PARS





## PARS CAPITIS POSTERIOR.

*Dejecit de cœlo ignem ter. Eccli. XLVIII.*

**J**OANNES Apostolus in eo libro, qui, ut Hieronymus asserit, *tot habet sacramenta quot verba*, Eliam supremi Judicis Testem a venturum geminâ vi designat, & potestate ignis ex ipsius ore in hostes erupturi, & aquæ clauso cœlo continendæ. Alteram executi jam sumus partem de imperio in pluviam exercito: alteram nunc aggredimur de igni ad arbitrium contorto. Primùm ignis à Propheta suppliciter evocatus, de cœlo demissus est in victimam, quam aræ in monte Carmelo excitatæ impofuerat: quo de sacrificio parte in priore dictum est. *Cecidit ignis Domini, & voravit holocaustum, & ligna & lapides, pulverem quoque & aquam, quæ erat in aquæductu, lambens.* Deinde haud vanâ imprecatione fulmina elicuit, cùm in eum semel atque iterum Ochozias rex quinquagenarium Principem cum agmine suo immisisset. Jussus regis nomine Propheta de montis fastigio, cui insidebat, descendere, jussit ipse ignem de cœlo descendere, qui ducem cum suâ manu militum absumeret.

Nec minùs ignem Xaverio, quoties usus postulavit, Deus impendit. Atque ut fileam de sanctiori mysticoque igne, qui Francisci inter sacrificium animo illabens, oculis & ore toto refulgebat; ignem externum, Divinæque ultorem injuriæ, non ille de cœlo accersivit, sed terrâ excitavit; nec tertium repetitâ, ut Elias, dejectione, sed flammaram continenti per triduum eruptione. Rem, quod

a *Apocal. II.*



majorem & indubitatam fidem obtineat, ex Pontificio diplomate Canonizationis referam.

*Ad Molucas insulas etiam Franciscus advenerat, ubi magno spiritus fervore verbum Dei primus annunciabat. atque in urbe Tolo viginti quinque millia hominum baptizaverat. Qui cum, suasu tyranni cujusdam, Christi fidem deseruissent, Ecclesiam solo equassent, Cruces Sanctorumque imagines confregissent & conculcassent, Franciscus zelum Domini zelatus, viginti Lusitanos ac quadringentos circiter indigenas ad ultionem tanti sceleris incitaverat. eoque duce ac victorie sponsore, tam pauca militum manus adversus urbem munitissimam, Christi rebellem, expeditionem aggrediebatur. Sed cum prope urbem pervenissent, subsisterat vir Dei, ac orationi se dederat: statimque vicinus mons magnum emiserat incendium; adeoque ingentem cineris ac pumicum vim eructaverat, ut urbis atq; arcis, quæ in edito sita erat, muros equasset. horribilibusque præterea terræ motus totam urbem concusserat, plurimasque domos subverterat. Quibus malis exterriti incolæ, desertâ urbe, in proximas silvas confugerant. Urbs itaque à Francisci militibus facile capta erat. Cives verò ad ejus pedes prostrati, acceptaque salutari pœnitentia, delicti veniam impetrarant.*

Quo loco haud prætermittendum est, urbem aliam nullam, sacris à Xaverio semel initiatam Christianis, communiter à Christo descivisse. Quin ita feri colique ab Apostolo Religionem solitam, non ut stare solum ac tueri se ipsa posset; verum etiam, ut adolesceret ac propagaret sese divinis Francisci institutis. Atque id vel præcipuè in Japonibus extitit; qui pro temporum iniquitate demum & atrocitate tyrannorum penitus derelicti, subblatis consumptisque omni cruciatûs genere cultoribus Europæis, fidem jam olim Francisci operâ susceptam, quâ servarentur, servarunt constantissimè. Et aquâ, & igni, & ferro tentata explorataque probavit se vis illa diligentis operosique satûs cultûsque, ac frequentissimo dirissimorum tormentorum experimento clarior enituit.

Neque id modò perfectum industriâ ac virtute Xaverii fuit, ut ne popularis usquam à Christiana Religione defectio contingeret: sed & singuli, quos ille erudit, tam



arctè fidem sunt complexi; ut eorum multi ab ethnicis Saracenisque capti, propositis, ni Christum abdicarent, poenis acerbissimis, vitam sibi prius quam fidem extorqueri sustinerent. Quòd si quis à Francisco institutus atque ad Christiana sacra perductus, gradum retulisset, pristinam in superstitionem recidisset; exardescere nimirum Apostolico vir spiritu, quam lenis facilisque in suis perferendis injuriis, tam severus acerque in Divinis ulciscendis. Quare in Comorino promontorio cum aliquando simulacrum rescisset à neophyto dedicatum; sacrilegæ impatiens perfidiæ, flagitium injecto contaminatis ædibus igni expiari iussit: ut insignis poenæ documentum ceteris esset cautioni & salutem. Multis honestis viris (Turfellini verba repræsentò) supplicii gravitatem deprecantibus, hoc solummodo permisit, ut rem familiarem domo liceret efferre: domum ipsam, sacrilegii receptaculum, omnino incendio absumi voluit.

Idem nempe agebat Franciscum Spiritus, qui Eliam egerat ad siccitatem sterilitatemque Israelitis inducendam, ad necem ferro flammaque inferendam. Quanquam & Lusitani Regis autoritate, & Indici Prætoris aliorumque Magistratum voluntate, plurimum Xaverio licebat, cui nihil libèret, nisi quod expediret. At Eliæ non favebat profectò, nec assentiebatur Achabus eorum cædi, quibus & ipse, & uxor impia Jezabel nefandæ superstitionis administris uterentur: sed repugnare non ausus post ingens prodigium effusis populi studiis, & ardori Vatis cœlum habentis in potestate, redimi sanguine aquam patiebatur.

Hic verò dissimulare non possum, quòd Eliam Chryso-  
stomus ob interfectam pseudoprophetarum cohortem crudelitatis insimulare non dubitavit. Equidem Chryso-  
stomi sanctitatem veneror pro eo ac debeo; sed eloquentiam nolim aliquid labis Eliæ nefariorum hominum sanguine aspergere. Virum Deo acceptissimum, ipsique Chry-  
stomo venerandum, & alibi pro suo merito amplissimè laudatum, ab omni inclementiæ notâ purgatum absolu-  
tumque cupio. Et sanè si impuri gregis interfectio crude-  
litas esset appellanda; quot illustres in sacrâ historiâ viri



crudelitatis maculam contraherent! quot pulcherrima facinora in odium crimenque vocarentur! Etenim, ut omittam Phineen, qui, occiso flagitii principe, iram Dei in Israelitas effervescentem noxio sanguine restinxit, Sacerdotium sibi suisque sempiternum promeruit: ut Samuellem taceam, qui *fidelis & dilectus Propheta Domini*, abjectum à Deo Saulem declaravit ob Amalecitarum excidium imperfectum, & Agag regem in frustra concidit *coram Domino*: ecquid Moyses ille, *vir mitissimus super omnes homines*, congregatis ad se Levitis imperavit, ut strictis gladiis castra percurrentes promiscuam stragem idololatrarum ederent? *Cecideruntque in die illa quasi viginti tria millia hominum. & ait Moyses; consecrasti manus vestras hodie Domino, unusquisque in filio, & in fratre suo, ut detur vobis benedictio.* Quid Josias, extra comparationis aleam, reges inter Judæos, ab Divino historico positus? *Delevit aruspices... & eos qui adolebant incensum Baal... & occidit universos sacerdotes excelsorum, qui erant ibi, super altaria; gratissimas certè Deo victimas.* Sed ut reliqua sileam vastæ cædis exempla; hoc Eliæ facto conjunctissimum, quòd Jehu rex collectos fano suo cultores Baalis ad unum omnes immisrà ducum & militum manu contrucidavit. *Dixit autem Dominus ad Jehu: quia studiosè egisti, quod rectum erat, & placebat in oculis meis... filii tui usque ad quartam generationem sedebunt super thronum Israel.*

Cui ergo cædem illam antistitum impietatis ab Elia perpetratam criminari liceat, & crudelitatis nomine justissimam Deoque probatissimam ultionem infamare? Deo supplicans ad aram quam excitarat Propheta, signum expetit, quo confirmaretur, juxta præceptum ipsius à se facta superiora omnia. testis & in suâ causâ idonei declarationem ignis de cælo delapsus obsignavit. Igne cœlesti non magis victima, quàm cum Elia populi circumfusi turba inflammata, ad hostes Dei comprehendendos mandandosque prorupit. Eâne, quæso, crudelitas est appellanda? appelletur ita sanè, dum agnoscat, quod aliâ occasione scripsit Hieronymus, solum pietatis genus, in hac re esse crudelem. Ex illius quidem, quo fieri mansuetius nihil potuit, Mosis sententiâ, manuum isto sanguine imbu-



tarum consecratio fuerit. Et tale factum sua sunt præmia consecuta. Cælum jam triennio longius clausum, denique nefandorum hominum mactatione, & quasi terræ populiq; lustratione, apertum est ad aquas secundum flammam effundendas: pluvia condonata; telluri fecunditas, salus universæ genti restituta. Intervenit Jezabelis furor; timore qui caderet in constantem virum, contactus Elias secessit in desertum locum. Ibi præclarè sibi conscius, non excusationem homicidii multiplicis attulit; non veniam oravit: sed interpellans arbitrum mentis suæ Deum, zelo incitatum se, multum esse ausum pro Domino testificatus; Divinum foedus ab Israelitis violatum, altaria Divina everfa, Prophetas Dei interemptos, jamque solum se superstitem, & adhuc posci ad necem conquestus; Divinum accepit responsum, quo non culparetur, sed erigeretur vindictæ fiducia: futurum scilicet, ut sceleratorum, de quibus exostularet, quisquis effugisset Syri Israeliticique Regum gladios, ab Elisæo necaretur. Quis est igitur circa magnum opus Eliæ reprehensionis locus, cum Divina totum laus occuparit? aut quid ego urbes provinciasque anathemati sæpe subjectas, ferro flammaque consumptas à laudatissimis, iisque lenissimis Principibus Israeliticis commemorem? ut domus, quam sacrilegium contemeraverat, unius ab Xaverio incensæ confessio religionem (quod accidisse videtur) movere nemini debeat, ne quæ velut fumi fordes ipsius virtuti famæque adhærescant, unde incensum Divinæ gloriæ studium illustrius emicuit.

Si quis verò severitatem ejusmodi valuisse in veteri lege concedit; in novâ, quæ amoris & gratiæ est, locum habere denegat: consideret paulò attentius, quid ipse legis Evangelicæ parens egerit: haud sanè dubitabit, quin vehementes esse interdum his etiam temporibus viros sanctos conveniat, cum proposita Christi Domini exempla memori pioque animo reputarit. Ille, quem prædixit Vates Evangelicus, Matthæo quoque interprete, leniter ad eò pedem ellychnio fumanti, & quassatæ arundini impressurum, aut veriùs non impressurum, sed ita leviter suspensurum, ut neque illud extinguat, neque hanc con-



terat: ille tamen ipse dextram armavit flagello, ac negotiatores omnes templo exegit bis, mensis eorum cum ære disjectis, & animi & oris ardore tanto, ut agnoverint discipuli, propriè in ipsum quadrare Davidicum hocce vaticinium; *zelus domûs tuæ comedit me.*

Christus Apostolos, tanquam Sol splendidissimos radios misit in mundum: ut appositè Cardinalis à Monte, jam crebrò appellatus, in orationis exordio Consistorianæ dixit. Atenim non hi radii, quales epist. LXXIX. scribit Seneca flammæ, nil adurentes, sed tantùm vi remissâ ac languidâ refulgentes. Sol idem intelligentiæ, ut ab Sapiente nominatur; & justitiæ, ut ab Malachiâ; *radios igneos exsufflans, & refulgens radiis suis obcæcat oculos*; ex loco Siracidæ jam perstricto à me sub finem secundi capituli, & ad Xaverium, quasi pælium, translato. Ita vibrant hi radii, & ipsi in soles quosdam secundarios conformati, ut præidentes ac feroces oculos hebetent atque excœcent, qui simplices & submissos recreant & acuunt. Terribilis imprecatio, seu prænuntiatio! *Obscurentur oculi eorum, ne videant.* Psal. LXVIII. cui recinat funestâ ista calamitatis affirmatio è Psal. LVII. *Supercecidit ignis, & non viderunt solem.* Sed hæc ad animum spectant. Fuit verò ex hujusmodi radiis acerrimis, qui cœcitatem corpori importaret, voluntariæ atque intimæ cœcitatæ & indicem & ultricem. Paulus Elymam magum, lumini rebellem, aptissimâ poenâ multavit: caliginem tenebrasque homini refractario, ducique ad errandum projecto offudit. Gravius Corinthium punitus est incestum Apostolus; igneam vim suam sic aliis infligens, ut eâdem torqueri se exclamaret. *Quis scandalizatur, & ego non uror?* Dirâ execratione constrictum hominem improbissimum tradidit Satanæ. Neque indulgentiorem præbuit se Princeps Senatus Apostolici Petrus in Ananiam Sapphiramque conjuges; quos, agro vendito cum pretii in commune conferendi partem suppressissent, fraudique adderent contegendæ mendacium, ille Sancti Spiritûs & interpres & vindex, acerrimis verbis, tanquam ardentibus confixos telis, subitò exanimatos prostravit ad fanciendam apud omnes duorum præsentem mortem disciplinam.



Severitatem aliquando tantam exercebant Apostoli, virique alii justi, quemadmodum exerceri ab coelestibus omnipotentis Domini Administris egregiè docet Augustinus l. ix. de Civitate Dei c. v. Sancti verò, inquit, Angeli cum sine irâ puniant, quos accipiunt æternâ lege Dei puniendos... tamen istarum nomina passionum consuetudine locutionis humanæ etiam in eos usurpantur, propter quandam operum similitudinem, non propter affectionum infirmitatem: sicut ipse Deus secundum Scripturas irascitur, nec tamen ullâ passione turbatur. Hoc enim verbum vindictæ usurpavit effectus, non illius turbulentus affectus. Ita justitiæ ultionisque Divinæ administrationem doctè sapienterque exponit Augustinus. In hunc planè modum Xaverius, pacato intus animo, extrâ nonnunquam cum pervicacibus efrænatisque hominibus, & quâ apud Deum gratiâ, & quâ apud Optimates valebat auctoritate, dimicavit. Tam mitis, quàm qui mitissimus, nullo incommodi sui respectu, nullo injuriæ propriæ sensu, aculeum aliàs objurgatione exerebat, supplicio aliàs mucronem adigebat: unicè ad Christi gloriam salutemque proximorum omnia flagrantissimo studio referebat. His adeò stimulis concitatus, ad expiationem sacrilegii, & ignem injici tectis revoluti in superstitionem Comorinensis voluit, & flammæ terræ motu vehementissimo in urbem Tolum evocavit.

Solet quidem suorum animos Deus ad lenitatem inflectere, nec patientes modò in vexationibus præstare, sed etiam gaudio efferre, ut maledicentium contumelias faustâ preceptione excipiant, persequentium injurias beneficiis rependant. At certis ex infinita providentia sua locis & temporibus instigat ad proterviam improbitatemque opportuna meritaque castigatione retundendam. Quo factum est, ut Cangoximæ in Japonia Franciscus, à petulantissimo scurra appetitus convitiis, cum grates hilarè cogitaret, arcano monitu motuque ad incutiendum audacibus furiosisque ministerii obtrektoribus Evangelici terrorem, hisce vocibus ad speciem deprecationis benignæ compositis; os tibi servet Deus; poenam insolenti



nequitia scelerataque insania debitam intentarit simul & irrogarit. Protinus ulcere foedissimo os, quo virus acerbissimi pectoris rabidus convitiator evomuerat, corruptum exesumque, sanie cum horribili graveolentia diffudit. Majus omnino, publicumque, non in unum furibundi Japonis caput, sed in civitates ipsas ostentum Xaverio adfuit in tempore; ubi seditione conflata à Bonziis contra peregrinum inauditi Numinis præconem vitiorumque suorum censorem apertissimum, duabus ex urbibus exturbatus, ab insanae multitudinis impetu & lapidatione defensus protectusque divinitus est conglobatarum objectu nubium, multo cum tonitru, infestaque densissimis fulguribus tempestate.

Genus aliud fulminis adhibuit Franciscus in protervum contumacemq; adversarium, urbi Malacæ Præfectum, Apostolicæ in Sinas expeditionis nefarium perturbatorem. quâ de injuriâ, inflictôque menti Xaverii acerbissimo vulnere dictum est antea non semel, sed parum pro rei gravitate. Tum Apostolici Nuntii potestatem, quam hæcenus præ modestia reconditam habuerat, expromere demum coactus, diras coelestes in præfractam impietatem intorsit, omni prius ratione tentatâ conciliandi revocandique ad sanitatem hominis perditissimi. Non is erat Xaverius, qui facilè ac temere ignem excutere cœlo vellet; ut nimio quondâ fervore longiùs progressi fratres duo Boanerges, Ecclesiasticâ necessariò plagâ impositâ, miseratus adhuc tyranni Malacensis amentiam, pro eo ad Christum suppliciter enixèque agere cum lacrymis institit, ut æternam ab homine tam graviter prolapsò cladem averteret. Quæ audita rataque videtur fuisse deprecatio, perinde atque execratio fuerat; cum Ataida præfectus, de gradu dejectus, vinclis onustus; bonis, quorum aviditate & invidiâ Sinicâ abruperat legationem, spoliatus; morbo insuper teterrimo oppressus, ita commissum nefas in Xaverium luerit, ut, ad extremum agnito scelere, pœnas à Deo atque à Rege Lusitano inflictas pœnitentiâ consecrarit.

Benignissimi Domini, Apostolorumque miracula, benefica & salutaria ferè iis, erga quos edebantur, suâ nimirum

rum



rum sponte exprimebat Xaverius; Prophetarum veterum severa & ultricia invitè, rarò, & certâ ratione instinctuq; Divino imitatus. Et quidem urfos è saltu excivit Elisæus, qui procaces & contumeliosos pueros ad Bethalem lacerarunt supra quadragenos: Xaverius tigres, per Sancia-num insulam gregatim sævientes, obviam ipse per noctem ultro progressus, ferumque & sanguinarium aquâ lustrali gregem aspergens, excursu in posterum interdicto, cunctâ regione exterminavit: ac pueros omni Christianæ patriæque charitatis operâ complexus, innocentes catervas baptismo in cœlum transmisit; quæ Divinum Agnum sequentes, candidatam pompam beatissimo augeant comitatu. Proximo capite exponetur, quàm mirificè Travancoridem propugnarit servaritque incruentâ ex Badagis victoriâ: mox, ut ejusdem auspiciis ducta in Acenos expeditio, strage Barbarorum incolumitatem prædamque Lulitanò generi, securitatem gloriamque nomini Christiano compararit. Quem verò adversus Tolanos ignem excitavit; ad expianda sacrilegia & Religionem illustrandam, ad ipsius victæ civitatis & afflictæ salutem pertinuisse jam cognovimus. Accensus erat igni, quem *b Dominus venit mittere in terram*, Xaverius: atque ipse (quod Relatio testatur Cardinalitia) *Indiam ut attigit post longam navigationem, que annum tenuit, curando corpori nullum tempus dedit; sed ignem, quem in illas provincias mittere venerat, statim cœpit spargere.* Nec postea destitit, quem veluti arâ cordis perpetuum alebat, Apostolicâ linguâ in omnem partem diffundere; nunc minaciter fulgurare, nunc radiare visus blandissimè, ac vim suam multiplicem longe latèque ad perpurgandos incendendosque animos explicare.

*b Ignem veni mittere in terram: & quid volo, nisi ut accendatur? Luc 12.*







## CAPUT IV.

Iconum Pari quarto respondens.

*Xaverius obviam Badagis progressus, hostilem  
solus exercitum vi specieque divina sistit & fundit.  
Tabul. VII.*

*Xaverius navalis in Acenos expeditionis autor,  
incensa supplicatione obtinet prædicitque in concione  
victoriam. Tabul. VIII.*

### PARS CAPITIS PRIOR.

*Ipsi videntes sic admirati sunt, conturbati sunt,  
commoti sunt: tremor apprehendit eos. Psalm. XLVII.*

**E**LISÆUS copias è Syria lectissimas capiendi sui causâ  
immissas, cum obvius processisset, Deum precatus,  
eas ut cœcitate percuteret, mediam in Samariam  
perduxit. Ibi, rursus orato Deo, Syrorum ut oculos ape-  
raret, sive, mutatas ut rerum species purgaret, ut loca  
personæque dispicerent; cohorrerunt scilicet, ubi se  
captos videre, murisque hostilibus circumclusos. Aliquid  
Xaverius partim simile gessit, diversum partim, nec minùs  
admirabile. Obviam progressus hostibus, sic eos inusitata  
formæ aspectu conturbavit, ut pedem attoniti referrent,  
fugerentque inermem hominem armatorum millia.



X A V E R I U S T H A U M A T U R G U S. 99

Badagæ, immanis & prædabanda gens, clade quam Paravis anno superiori intulerant, ferociore, in finitimum regnum Travancoridis, operâ Xaverianâ recens Christo subditum, irruptionem fecerant, non tam prædæ amore, quam Religionis odio grassaturi. Neque illi tunc latronum more ipsi, ac temere effusi discurrebant; sed iusto exercitu movebant signa, & instructis ordinibus bellum exitiumque inferebant. Primo hostium conspectu exterriti per vicos Travancoridenses, retibus tractandis ad oram maritimam potius quam armis assueti. nec patebat trepidis effugium, quos deprehenderat Badagarum celeritas, adventuque opprefferat. cuncta incondito virorum clamore, inani mulierum puerorumque ejulatu miserimè personabant. Audito Xaverius tumultu & periculo, non ille fugam, non latebras circumspicit: sed incolumitatis alienæ sollicitus, negligens suæ; tanquam fidelis custos, ovibus in extremum discrimen luporum incursum coniectis, & ad lanienam expositis, opitulaturus advolat. Christum liberatorem, pro temporis angustia, brevi, sed ardentissimâ imploratione veneratus; gregem ut suum, cui pastorem Princeps optimus sanguinem vitamque impenderat, summâ in desperatione tueatur: è monte, ubi tunc agebat, in subjectos campos, quâ ferebantur hostes, divino impetu rapitur; imbellemque turbam sui pectoris oppositu tecturus, barbaris irruentibus ultro occurrit. Atque ut erat *indutus virtute ex alto*, conceptumque animo Deum oculis & fronte spirabat; tam acri, tamque incensa oratione minaciter antesignanos hostium aggreditur, iras cœlestes intentans, ut primùm obstupefacti vestigia premerent; deinde stantes hærentesque urgentibus agminis secundi militibus, negarent progredi se posse: objectam sibi formam viri, Xaverio adstantis, morem modumque humanum altitudine & majestate superantis, ac sublimi terribilique ore fulgurantis.

Qui rumor in ordines cum admiratione dissipatus, ad duces perlatus cum esset; rem suis ipsimet oculis exploraturi, in primam aciem procurrunt. Virum enimverò conspiciunt mortali specie augustiorem, cujus vibranti ex oculis totoque vultu ardori ferendo pares non essent. Itaque



cum militibus pariter consternati, repellique se ac retrudi arcanâ vi sentientes, feritatis violentiæque suæ immemores, illæsis intactisque Christianis, in Bisnagam patriam suam, celerius, quam advenerant, victis ac fugientibus similes revertuntur. Et primum hoc in Canonizationis instrumento Pontificio memoratum est prodigium; cujus claritas gratiaque Travancoridis Regem ita Francisco devinxit, ut ediceret, Magno Patri ( sic enim vocabat ) perinde ac sibi, essent omnes dicto audientes.

Quantis Horatium illum Coclitem laudibus antiquitas Romana celebravit! quod, ut Livius narrat, positus in statione pontis cum captum repentino impetu Janiculum, atque inde citatos decurrere Etruscos vidisset; adversus constitisset aliquandiu, dum sublicius à tergo pons rescinderetur. Ipso, inquit, miraculo audaciæ obstupescit hostes... rem ausus plus famæ habituram ad posteros, quam fidei. Duos tamen, ut idem testatur historicus, cum eo pudor tenuit, claros genere factisque. Cum his primam periculi procellam, & quod tumultuosissimum pugnae erat, parumper sustinuit. Quibus etiam dimissis, si adhuc restitit, quoad exigua pontis pars omninò rumperetur: & armatos armatus sustinuit; & ( postquam hostes undique instantes solus submovere non poterat; quæ Flori verba sunt; ) revulso ponte demum ipse terga dedit, seque ad suos natatu recepit. At Xaverius & unus inermisque adversum se intulit Badagarum copiis; & barbaros corpore interclusit, aspectu rejecit, verbo fugavit.

Jactet verò Scævam magnificè Lucanus,

*Parque novum tumido ore canat concurrere, bellum  
Atque virum;*

Sic illum videlicet prædicans, quasi totam solus Pompeiani exercitûs molem excepisset; qui cohortibus aliquot fretus, septusque munitionibus, tantùm ad legionem arce dam strenuè decertasset. Quid autem fortitudine eximia perfecit? Eius operâ castellum conservatum esse magna ex parte constabat: ut perhibent commentarii Cæsaris, ad quem scutum istius relatum fuit centurionis, ex ictibus sagittarum insigne foraminibus ccxxx. Atenim



Xaverius, in apertum provolans, Badagarum copias unus omnes repressit, turbavit, avertit, infregit. neque castellum, sed regnum ejus unice operâ fuit conservatum. Unde *imperii scutum* ipse potiori jure à Travancoridenfibus, quàm Fabius à Romanis, fuerat appellandus.

Verùm omisâ in profanas res digressione (cujusmodi tamen excursio à Sanctis frequentata Patribus, & ab ipso D. Paulo usurpata fuit, non laudandis modò poëtis *a* ethnicis tribus, sed ritu *b* etiam Gymnico ad Christiani certaminis formam, coronæque incorruptæ adeptionem traducto:) his inquam, omisstantò inferioribus, quantumvis decantatis, profanæ antiquitatis facinoribus, Apostoli *terra scuta c* sunt ex Hebraico textu à Davide nominati. & Prophetarum est, quod Ezechielis significavit voce Deus, ex adverso tendere atque obniti, & murum se pro sua gente hostibus ipsique ultori Domino opponere. Utrumque Xaverius mirificè præstitit & scutum & murum; direptionique expositam & apertam provinciam; florémque Christianorum constantiâ Propheticâ Apostolicâque virtute obtexit. Iphis adeò se Davidis Fortibus fortiorem præbuit: quorum Fortium Principes; Eleazar & Samma, duo propugnacula belli Philisthæi, fugientibus Israëlitis steterè adversus hostes, populumque gemino separatim prælio servarunt. Siquidem hi rem ferro egerunt; gloriam sibi, suis incolumitatem & prædam cæde hostium compararunt: solâ Franciscus fide armatus, barbaros, omnia atrocitatis exempla in tenerum gregem Neophytorum edituros, autoritate divina specieque propulsavit. Coronas ille civicas promeritus innumeras, aut etiam civicas nobiliores; cùm suum ipse caput singulari charitate pro externis alienigenisque devoverit; neque salutem corporibus tantùm, sed vel maximè animis pepererit. & de ipsis hostibus præclarè meritus, quorum non petiit sanguinem, nec ulli vitam ademit; sed consceleratam & nefariam cunctis voluntatem, aut certè nocendi po-

*a* Menandro, Epimenide, Arato.      *b* 1 Corinth. 9.

*c* Psal. 46. ubi legitur in vulgata, Dii fortes terræ.



testatem, compressis depulsisque eorum gladiis, feliciter benignéque eripuit.

Cui splendidissimo Francisci beneficio nihil ego similis invenio, quàm Leonis Magni plenum animo, plenum pietate factum: qui, cum Attila, illud Dei Flagellum direptâ Aquileiâ, Romam ardens cupiditate, furens audaciâ involare; Pontifex, quâ erat in populum misericordiâ, ut ingruentibus Italiâ urbique malis occurreret, adiit ultrò regem barbarum, cœlestisque eloquentiâ vi flexit, ut exercitum in Pannoniam reduceret. Sed ille tamen Attila blandâ & honorificâ persuasit oratione, ut receptui cerneret: Franciscus acri & imperiosâ commovit Badagas; eorumque impietatem severè ac vehementer increpans, perpulit ut fugam arriperent. Sic Leo, pater patriâ extitit; Franciscus, gentis alienæ conservator. Commune hoc utrique virò sancto, quòd orantibus divina species adfuit, hostes barbaros tremefecit. Nam & Attila suis admirantibus, quid ita Romani Pontificis obsequeretur voluntati, confessus est, terrore se ad ejus arbitrium descendisse. Pontifici quippe dicenti alium sacerdotali amictu quempiam adstitisse, qui sibi necem, ni Leoni parèret, stricto gladio minaretur.

Formam itidem minitabundam hominis præcellis, nigra vestis habitu, & oris intolerabili splendore conspicuam, Badagas quasi lymphatos egisse non repetam: sed appendiculam victoriâ ex armatis hostibus relatâ subjiciam, aliorum hostium, tametsi leviori motu, haud leviori tamen periculo concurrentium, profligationem. Bonzios dico, profanorum in Japonia sacrorum administratos; quos variis circa Religionem doctrinæ certaminibus, diversas per urbes, Franciscus & singulos & turmatim laceffentes apertè splendideque vicit. Verùm in aulam Bungenfis Regis aliquando supra tria millia confluxere, florentissimis Japonum Academiis instituta; & quibusdam à patre mendacii, & omnis erroris artifice, machinis ingenii subornata. quorum petitiones eâ calliditate nequitiaque conjectas, ut nec frangi, nec eludi posse viderentur, adeo inanes irritasque Xaverius cœlesti sapientiâ reddidit; ut



Regis intelligentissimi Principumque, eruditæ contentioni præsentium, iudicio sententiisque omnibus de Japonica superstitione Christiana Religio triumpharet. Quæ sanè contentio periculum Eliæ, pseudopphetas Baalis quadringentos & quinquaginta oppugnantis adæquavit; eisdem mirè debellantis gloriam fructumque renovavit, superi luminis arcano, sed responsis ac dissertationibus planè divinis spectato illapsu; nec cæde Bonziorum, sed convictæ multitudinis salute consecutâ. *Ipsi audientes sic admirati sunt, conturbati sunt, commoti sunt!*

Atenim quid homines à Xaverio devictos refero, cum dæmonum catervas hominum corporibus eiectas; animis, quæ pulcherrima victoria est, passim deiectas recensere liceat? Has ego tamèn palmas in alium locum differo: tantùm hic, quemadmodum olim Synagogæ suæ Moses de Domino ac Deo, sic ego de viro Divino, Ecclesiæ Indicæ pro portione gratulans accinam: *Scutum auxilii tui, & gladius gloriæ tuæ.* In Badagas, ut explicatum est (ne Brachmanas & Bonzios disputatione fusos ac profligatos commemorem) Franciscus omninò *Scutum auxilii*; in Acenos aliosque hostes, ut exponendum succedit, *gladius gloriæ.*







PARS CAPITIS POSTERIOR.

*Confidentem in virtute sua , & in potentia suâ ,  
& in exercitu suo... non ferro pugnando , sed  
precibus sanctis orando dejecit. Judith IV.*

**I**D egit Moses Amalecite populo Israelitas oppugnante:  
dum Josue manus confereret cum hoste , ferroque di-  
micaret ; ipse , collis de vertice , unde patebat in præ-  
lii campum prospectus , ad cœlum manus inermes suppli-  
citer attollebat , eoque librabat habitu victoriam . Sic enim  
pugnæ quasi fatum ex illius erat suspensum manibus , ut eas  
si remitteret , vincerentur Israelitæ ; dum erectas inten-  
tasque haberet , superarent . Idem Lusitanis contra Ace-  
nos Turcasque præliantibus beneficium Franciscus exhibuit :  
Malacæ , in æde Virginis Deiparæ , à monte , ubi sita est ,  
cognominatâ supplex victoriam cœlo devocavit ; ac tanquam è  
specula pugnam in fluvio longinquam prospiciens , quem impetrabat ,  
optatum felicemque successum auditoribus prænuntiavit .  
Rem multiplici insignem vaticinatione , ac nomini in primis gloriosam  
Christiano , & orationibus Consistorianis duabus , quarum aliquoties jam  
feci mentionem , atque ipsa Bulla Pontificia summam collectam  
prosequar .

Acenorum classis & navium numero , & militum copiâ ,  
in quibus frequentes Jannizeri , omnique apparatu bellico  
ornatissima , cum intempestâ nocte Malacam urbem inva-  
sisset ; deprehensas in portu onerarias incendisset , captos  
complures Christianos Religionis odio crudelissimè ene-  
casset ; autor fuit Malacensi Præfecto Xaverius , barbaros  
eventu



eventu insolentissimos, ac Lusitanæ genti & Christiano sanguini foedè insultantes, bello persequendi. Tanto auctore, & sponsore victoriæ, suscepta expeditio, quæ plenissima temeritatis videbatur; septem omnino biremibus, quot flammæ hostili superfuerant, iisque conquassatis, Lusitanos circiter ducentos in sexaginta validissimas naves, multaque exercitatissimorum classiariorum millia sponte invehit. Accessit ominosus casus. Vix tantula classis populo spectante solverat, cum ultro dissoluta in ipso portu biremis subsidit prætoria. Tum clamor & trepidatio, ac ferè civium major in littore, quàm in mari nautarum & militum. Urbis classisque Præfectis vulgus, & ipsi Francisco obstrepere, tam inconsultæ, ut quiritabant, expeditionis auspiciis ducibusque.

Interim sacris operabatur in cellâ Virginis collinâ Xaverius; cum trepidus ad eum festinusque à Mello, Præfecto Malacensi, nuntius advenit, qui sedandis turbis præsentem efflagitet opem. Sed accedentem ad insusurranda mandata summovet levi significatione manûs, perficiendæ intentus rei Divinæ Franciscus; & jam, quid acciderit, quid moveatur, quid instet, Divinitus intelligens. Sacris mox peractis, priusquam hiscat nuntius, renuntiare domino suo jubet; stet animis, néve ullo se casu labefactari patiatur: præsentissimum adesse summis necessitatibus Deum. Subinde effusus in lacrymas & preces; jam Christum *JESUM, amorem cordis sui* (hæc enim ipse excepta verba sunt, multâ vi erumpentia) ad præsidium invocare; suapte vulnera, charitatis infinitæ pignora, intuens libertatis & salutis humanæ vindex, tantis in rerum angustiis misericors aliquâ consolationis opisque parte suos dignetur: jam Divinam Parentem, suavissimamque mortalium Patronam, ad placandum conciliandumque Filium, ad suppetias laborantibus ferendas, crebro cum gemitu suppliciter adhibere.

Qua precatio intimoque sensu faventis Numinis confirmatus, aditum ipse prætorem urbis Mellum confirmat: & quam læto vultu gerit ac sermone sonat, navarchis mitibusque impertit fiduciam. Mirum dictu! cum Malacæ



Gubernator, ne quid temere in re tanti momenti egisse videretur, solenne consilium, civitatis classisque primoribus convocatis, haberet; cives, domi longè ab omni periculo confessuri, propositam omnes condemnant dissuadentque expeditionem; duces militesque profectioem conclamant, alacriterq; universi deposcunt. Agebat scilicet Francisci meritis votisque adspirans Deus; & militares animos, supra difficultatem omnem probabilemq; rationem erectos, incredibili spe concitabat.

At ipsum præcipuè Xaverium, gloriæ suæ fidelissimum administrum actoremque movebat efficacissimum. Qui ad sacrum bellum strenuè capeffendum, in quo Numinis causa & religio, non solùm dignitas nominis Lusitani & publici commodi ratio, ageretur, piè vehementerque cohortatus; ac milites ad memoriam decusque revocans dicti pridie in hanc expeditionem Christo sacramenti (unde & Christi Cohortem appellavit;) gravissimum pondus addidit orationi, promissum ita resarciendæ jacturæ, ut pro biremi una demersa, quo tamen casu neque nautarum quiscquam, neque militum periisset, supervenirent duæ, ipso illo die, naves amissâ potiores. Hoc verò cunctis decretorium planè visum: & prædictionis fama per urbem vulgata, animos expectatione, curiositate oculos excitavit.

Nec vaticinationi defuit exitus. Horâ ante solis occasum, è monte Mariano, ubi supplicationi instabat Xaverius, datur signum, apparere naves geminas; quas privati juris esse, alteram penès Jacobum Soarium, penès ejusdem filium alteram, compertum est missâ exploratoriâ scaphâ, cùm altum hæ tenerent, neque Malacam vellent portorii fugâ divertere. Ambæ tamen Xaverii interventu, conscenso lembo nobiles adeuntis institores, adjunxerunt sese classi cum sexaginta, quibus erant instructæ militibus. Hac auxilii tam opportuna accessione recreati animatq; Malacenses: & Lusitani milites, qui, jam ante denuntiatum à Francisco opis adventum, suâ sponte generosum pulchrumque jusjurandum de belli sacri periculo omni subeundo renovarant, octo biremibus, cum celoce unâ,



vela fecere, votis prosequentibus civium; & magnâ utrinque conceptâ spe, tanquam auspicio patrociniâque oppigneratâ Xaveriano, victoriâ.

At quanta levitas in vulgo! quàm vaga opinionum voluitatunque mobilitas! Mari, cui adjacet, per similes Malaca agitatione populari, & sensuum, quasi fluctuum, æstu volubilis, effusa illa studia, legitimaque & honorifica iudicia cum iniqua existimatione & alienatione commutat. Cùm profecta classis hostem diu frustra quæsisset, longius avertam; jamque plus quadraginta dies fluxissent nullo de ea nuntio Malacæ accepto: nimirum sollicita metu civitas, dum tennes reputaret copias & naviculas adversus robustissimam classem barbarorum tetendisse; ac sparso insuper ab ethnicis finitimis rumore, victos concisosque ab Acenis Lusitanos, ita prorsus factum, ut timori pronâ est in pejus fides, rebatur, omnes aut prælio aut naufragio interisse; nec reliquum unum, qui stragem nuntiaret. Hinc suorum desiderium; hinc parentum afflictatio, luctus liberum, uxorum mœror, cunctorum ferme, quâ consanguineos, quâ amicos requirentium, squallor & comploratio. Tum verò suum cuique periculum ante oculos; quid urbi futurum, si victor Acenus classem iterum admoveret? propiusque malum ab Vintano Rege potentissimo; qui paucis milliaribus sejunctus, dissimulanter stabat in armis & ancoris, haud dubiè oppugnationem meditantem ademptâ quondam patri suo Malacæ; nunc præsidii flore ablato, nudo portu, exhausto armamentario, imparatâ, destitutâ, spoliatâ, ad cladem & ludibrium objectâ. Ergo Xaverium illum, quem prius ferebant in oculis; quem conscendere cum sacro manipulo militum cupientem, ut cujus esset adeundi suasor periculi, comes etiam foret, omni contentione publicum ad solatium munimentumque retinuisset: jam gravem ac pænè odiosum habere, perinde ac funesti consilii principem, expeditionis temerariâ incentorem. Nec jam vaticinationis proximâ, totque aliarum recordatio, & insignium miraculorum, quibus inclyta viri sanctitas Divinaque sapientia præluxisset, ingratos reverentiâ in officio continebat. Præfectus ipse urbis nonnullam præ se indigna-



tionem ferebat, ab usum facilitate suâ dolens Franciscum, ejusque se confidentia in Malacensium offensionem adductum: ac propè oculos hominum, à se carissima capita repentium, vitare coactum & carere publico.

Sic adeo moderatrici rerum omnium Providentiæ placuit servi ministrique sui fidelissimi & constantissimi patientiam exercere, amplificare gloriam, moestitiâ civitatis & desperatione summam in admirationem Xaverii gratulationemque convertendâ. Consolabatur ille familiari passim colloquio, & concione frequenter, sollicitudinem incolarum: fluctuationem supremæ parum bonitati potentiaq; fidentium arguebat: nefariam quorundam curiositatē, ad magicas artes & veneficia confugientium, atque inde responsa, qualia ab perturbatore vexatorēque hominum fuerant expectanda, reportantium impietatem acerrimè insectabatur: classis autem Christianæ felicem in hostes motum, victoriamque precibus accersendam commendabat more perpetuo solennique formulâ auditoribus. At enim cùm iteratam toties, nulloque, ut videbatur, fructu cōmendationem jam homines subirati non modò animis, sed auribus quoque respuerent; ac potiùs orandam cæsis aut submersis veniam, quàm victoriam pugnaturis mustitarent: denique in paucis illustre, & tunc omnium plausu Malacensium, totius mox Indiæ celebratum, Prophetiæ specimen dedit.

Alloquebatur è suggestu inter Divinæ Liturgiæ mysteria Xaverius, præsentē urbis Governatore, populi multitudinem plurimam, quam conciverat ipsa diei celebritas (agebatur enim Adventûs sacri Dominicus dies primus, eo anno, pridie Nonas Decembres: ) cùm repente in ipso orationis cursu conticescit, at perfacundo silentio. Alienatum quippe à sensibus animum procul evolasse apparebat, & spectaculo interesse cuidam insolito. Stabat stupore defixus, & stupore defigebat circumstantes. Erraticos vultûs colores jam gaudio, jam dolore mutabat: spem, timorem, alternis ostendebat. sed eminebat sollicitudo & commiseratio, ardensque cupiditas caris quibusdam hominibus succurrendi, ingenti periculo ac labore confligen-



tibus. Et verò atrox cruentumque prælium describebat, sed per ambages, & subsultante quodam impetu, abruptisque & pendentibus sententiis; ut non tam agere, quam agi Divino Spiritu cerneretur.

Mutila inter ac dimidiata verba distinctiùs hujuscemodi voces auditæ sunt, cum manus supplices ad Christum sublimem in cruce, templi sub fornice propositum, flagrantibus simul & lacrymantibus oculis protenderet. O JESU, *Deus cordis mei*, obsecro te per acerbissimos tuos cruciatus, *serva quos pretioso sanguine redemisti*. defende tibi addictos, in tuæ Religionis propugnationem juratos, devotos. Cohortem tuam vindica: tam impares hostibus adjuva; piorum militum globum ab insana vi barbarorum tuere. Talia multa vario motu & animi & corporis incitatissimè vibrans, extra se raptus, atque in frequentissima concione tanquam cum Deo solitarius; ab illo demum fervore vastaque jactatione abjecit sese, brachiisque in oram suggesti depositis caput excepit. Mox, ubi aliquanto silentio respiravit; quiete ista veluti resectus, & mirà quadam cœlestique suavitate frontem ac vultum explicans; jam non intercisit, non ambiguis & cœcis vocibus, at clarè discreteque nuntiat victoriam. Pugnavit classis, inquit, Christiana; Christus vicit. Hoc ipso articulo temporis Acenorum exercitus omnino profligatus: quatuor solummodò è nostris capita extincta pluribus hostium interfectis millibus compensata sunt. Nuntius victoriæ, à classis Duce præmissus, aderit feriâ sextâ proximâ. ipse nuntii vestigia sequetur cum suis triumphans, hostilibusque abundans manubiis Imperator. Tum edixit auditoribus concionator mirabilis, ut secum oratione Dominica & Angelica salutatione recitatis exercituum Domino splendidissimam victoriam gratularentur; iisdemque precibus iteratis procurarent occisos milites Lusitanos. Atque hac perfunctus denuntiatione, exscendit pulpito. Nec poterat efficacior ad motus animorum peroratio adhiberi.

Laboraverat simul cum æstuante Xaverio sua concio; ac, quorsum esset tanta modestissimi hominis evalura agitatio, diu tacitâ expectatione pependerit. Usqueadeo fau-



stus quasi tragicæ actionis exitus, quo sensu coronæ acceptus fuerit; tam optabile, tam insperatum victoriæ præconium, quàm effusâ lætitiâ celebratum, quis assequi vel cogitatione possit? Ipsi profectò gessere templi parietes videbantur. Nec cuiquam ex illa frequentia seu procerum, seu plebeiorum dubia accidit vaticinatio. ita dicendi tota ratio, præter illustria de viri sanctitate præjudicia, spiritum exhibuerat Propheticum! Matribus tamen familias, jucundissimæ prænuntiationi timidè credentibus, eodem die Franciscus pomeridianâ concione seorsum in æde Marianâ victoriam suorum, felicemque designato die reditum certa liquidaque asseveratione confirmavit. Et jam, quem Malaca rursus indicem audiebat præconemque victoriæ; ejusdem à Superis conciliatorem confectoremque Lusitana classis eo ipso, quo primùm is rem declaraverat, tempore matutino senserat, loco ab urbe quadringenta ferè millia remoto, ubi commissum erat prælium. Acenum confidentem potentiâ suâ, & virorum naviumque copiâ, *Moses alter non ferro pugnando, sed precibus sanctis orando dejecit.*

Christianam classem aura secunda provexerat ad Pullocambilum, ditionis Malacensis fines, metasque navalis excursus præscriptas à Malacensi Governatore. Sed Acenos eatenus frustra venati, nullo eorum deprehenso vestigio, nec limites ausi definitos præterire, cū renavigare Malacam re infectâ Lusitani dolentes cogerebantur; resstantibus ventis, non sine consilio Divino, amplius viginti dies à reditu prohibiti sunt. Dein remittente se adversâ tempestate, verùm deficiente comœatu, cursum intendere longo intervallo plagas versùs foederatæ gentis Peguanæ: oramque Cedanam legentes, aquationis & annonæ gratiâ, quos mari non invenerant hostes, in fluvio repererunt. Sub ostia Parlis fluminis, cùm fortè præterlabentem scapham occupassent piscatorum, ex iis cognitum, Acenos vicinâ regione pervastatâ, non procùl amnem totâ classe insidere. Hic verò majorem in modum gaudere, & animis exultare Lusitani, quæsitam opportunitatem congressùs tandem aliquando nacti: & classi præfectus Deza, splendidissimo ex-



cultus paludamento, comneatum omnem ad epulas in milites nautasque jubet profundi, festâ tormentorum omnium displosione triumphî speciem agitari. Sic nimirum excitatos semel animos impleverat Xaverii fiducia; ut securi pugnæ, victoriam unicè à tanto Vate desponsam reputarent.

Quare, ultro concitatis ardentibusque nihil erat necesse hortationem adhibere. Dux tamen ne quâ sui muneris parte superfederet, actuariolo naves obiens, in primis fidem promissorum commemorabat Francisci Patris optimi, ac Deo gratissimi, recentemque in hac ipsa causa de biremi gemina prædictionem, eventu comprobata: illius assiduam pro classe fervidamque supplicationem ostentabat. Magnificâ appellatione, quâ essent ab eo honestati, Cohortis Christi nunc dignos sese præstarent: Christo ad aras publicè capita sua consecrata, repetitoque devota sacramento. Nec verò omittebat præsens augurium pignusque solidæ victoriæ, captum de myoparonibus Acenorum quatuor exploratoriis; quorum à scaphis Lusitanicis tribus tres fuerant expugnati, perductique ad Christianam classem: quartus sibi fugâ consuluerat. Valebatque ad acuendos & inflammandos animos extortum à vectoribus myoparonum captivis indicium; Acenos in orâ, ad quam constiterant, arcem moliri, quâ flumini imminente naves interciperentur Malacam à Bengala comneantes; capti Christiani omnes trucidarentur.

Ab imperatoria concione Deza navalem aciem instruit in recessu ad promontorium fluvii Parlîs, qui altus latusque ac rapidus, & ubi se evolvit in mare, maris instar obtinet. Vixque erat modica classis instructa, cum auditur hostilium buccinarum & tympanorum strepitus, & barbaricus ululatus. Intellecto Lusitanorum accessu ex myoparone, qui fugâ evaserat, Aceni furore præcipites toto anime ferebantur. Agmen ducebat Bajaius Soora, Saracenus, ferociâ & crudelitate nobilis, quem Acenorum Sultanus Alaradinus Regem Pedirenssem crearat, classique præfecerat. Decem in ordines tributa classis: in primo triremes quaternæ, Turcicæ, quarum maximâ validissimaque



Rex vehebatur: in ceteris novem ordinibus biremes, senæ singulis attributæ; omnes omni armorum genere, sclopetorum præsertim ac bombardarum instructissimæ; denisq; ut proditum à speculatoribus captis fuerat, militum nautarumve millibus. Octo biremes contra educunt Christiani, supra ducentos omnino triceni; Lusitani plerique, Indi reliqui. Sed aderat suorum tam impari numero Xaverius, qui Malacæ interim spectabat animo discrimen; ipsoque in suggestu, dimisso concionis institutæ argumento, pugnat & scilicet vincebat summâ valentissimæ apud Deum orationis contentione.

Et apparuit Numinis erga Christianos favor ipso congressûs principio. Aceni festinatâ & inconsultâ exoneratione tormentorum inanem fuderunt pilarum procellam, Lusitanis extra jactum positis innoxiarum. Contra, jam incalcescente cominus prælio, ex altera Soarianarum biremium, quas classi accessuras Franciscus prædixerat, globus æneâ feliciter machinâ intortus, navi regiæ tam violentum incussit ictum, ut eâ labefactatâ depressaque affecerit victoriam. Tanto casu coortus ingens tumultus; triremesque imperatoriam affectatæ, curam omnem ab inita pugna ad eripiendum aquis ducem proceresque naufragos convertère. Atenim qui trepidè incumbabant alienæ salutis, suam ipsi projiciebant, universæque classi exitium accersebant. Obliquatæ triremes obstant secutis biremibus; quæ secundo & torrente flumine, velis remisque concitatæ, incurrunt transversis lateribus. Has aliæ subsequatæ premunt: impinguntur proræ puppibus. Longâ serie magnoque impetu naves invicem, à fronte, à tergo, cum fragore collisæ, tanquam sociali inter se bello configunt. Hærent permixtæ, arctatæ, confusæ. ac mirum id, planè divinitus, accidit; ut tanto numerosiorem Acenorum classem paucæ Lusitanorum biremes circumvenirent: perturbatam, ac veluti irretitam constrictamque efficacissimis precibus tradente Xaverio, antequam explicare se posset, quater excussis omnium tormentorum fulminibus verberarent; naves obruerent novem; plures conquassarent, lacerarent; stragem ederent barbarorum, propiusque in-

v. cti,



vecti, & transilientes Christiani injectis uncis in Acenorum navigia, bolidibus, sclopis, contis, gladiis infecti, cuncta cæde miscebant.

Verùm fluvio emersus, receptusque à suis classariis Sooradux, irâ furens ac desperatione pugnam restituebat: cum glande catapultariâ graviter percussus, animo prorsus defecit, seque abductis navigiis duobus è conflictu abstulit. neque effugit tamen, intra horas aliquot plagâ acceptâ confectus; atque indecorâ morte impietatis, arrogantia, immanitatisque poenas luit. Et adhuc restitit classis duce destituta. Flos ille nobilitatis Acenæ & cohortis regiæ; robur illud Jannizerorum, aliorumque Turcarum ingenti numero delectorum, aliquandiu repugnarunt; victorum benignâ ad deditiorem invitationem ferociter rejectâ. Sed plurimi terrore amentes, dum ferrum ignemque Lusitanorum fugiunt, in amnem sese præcipites dederunt; nulloque inter rapidos vortices enatandi loco relicto, abrepti extinctique sunt. Præter eos Regis Pedirensis comites, qui sanè pauci exitum pugnae certumque exitium fugâ præverterant, tantis ex Acenorum copiis superfuit nemo. milites quidem universi ferro, flammâ, aquâ consumpti.

Horrendum verò, sed victoribus haud ingratum spectaculum, fluvius atratus cruore; lacerarum navium fragmentis & spoliis, barbarorum armistelisque, corporibus truncisque membris constratus; & naufragii specie mistum incendium. Captæ à Lusitanis naves omnes, decem exceptis, quas inter congressum tormentis depresserant; bombardæ trecentæ cum cetero instrumento bellico. Ad hæc ingens facta nec-opinantibus accessio est. Auditâ Christianorum victoriâ, occasionem suam ratus, ultionisque avidus Rex Patanensis, cujus regionem populati Aceni fuerant; in eorum ducentos, ad captivorum prædæque ex direptis oppidis acervatæ custodiam, quo loco arcem designaverant, relictos præsidioque collocatos, tumultuario agmine impetum facit, omnesque ad unum concidit. Inde occupatis, quas eandem ad oram habebant, triremibus geminis, cum lectissimâ suorum manu ad Malacensem classem pronò amne decurrit; victoriam gratulatur: ac regnum, quod



ex hostibus receptum debere se Lusitanicæ fortudini profiteretur, in clientelam confert Lusitani Regis.

Felici gloriosoque successu rerum Deza cumulatus, post concrematum quidquid navium erat Acenarum prælio quassum nautisve spoliatum, præmissâ ad nuntium celoce, Malacam repetit, jam certâ expectatione victorum ex Francisci prænuntiatione erectam. Quibus gaudiis effusa ruit in portum civitas universa ad prospectum classis triumphali pompâ redeuntis! Nec tantum voluptatis afferbant explicata multo cum splendore vexilla, tubarum festi concentus, crebri latique urbem salutantium boatus machinarum; quantum illæ ab octo biremibus ductæ naves captivæ ad quinas & vicenas. Crevitque cum voluptate admiratio, ubi rescitum est, tot alias naves amne demersas, igne absumptas; tot hostium pugnacissimorum occisa milia; in Christianâ parte Lusitanis omnino quatuor concursu atrocissimo peremptis. Ac dum curiosè cupidèque urbani pugnae ordinem requirunt; collatâ ratione temporis comperitur omnia cognitioni descriptionique publicæ, dum res gereretur, Xaverii, tanto locorum intervallo disjuncti, exactè respondere, fortunatumque reditum egregiè prædictioni consonare. Aderat ipse, nec pars modò, sed caput materiesque amplissima gratulationis, Xaverius. aderat verò in cruce spectabilem Dominum præferens, ut omnis à se averfa laus in unum conferretur autorem victoriæ; quem sacri milites sibi, ut erant jussi, medio in æstu certaminis proponentes piè faustèque inclamarant. Facere tamen haud potuit, quin illam Christi Cohortem palmariam complexu tenerrimo excipiens, à Præfecto classis ad ultimum classiarium; mutuaque inter gaudia lacrymis eos perfundens, qui sanguini suo in Christi causa non pepercerant; ab omnibus uti sequester interpretæque victoriæ suspiceretur, ac pro suo merito coleretur.

Hostium quidem insidias Elisæus Israelitico Regi indicavit; at ipsos insidiatores non oppressit: pericula detexit, quæ prudentiâ & occupatione locorum caverentur. Plus aliquid egisse in hac parte videtur Xaverius: fortitudinem etiam ad propulsanda vincendaque pericula, ad hostes



acerrimo prælio debellandos præstitit. Et victorias idem ille Propheta de Moabitibus deque Syris prædixit: & (quod Xaverianæ propius est visioni, quanquam in alio genere) absens corpore interfuit animo, dum recusatorum ab ipso munerum partem famulus, quaesito colore & heri nomine per fraudem obtento, peteret à Naamane: graviterque improbitatem, avaritiam, nominisque sui interpositionem dolosam vindicavit. Par notio fuit, sed multò lenior animadversio Francisci in Joannem Deiroum, comitem suum; non è suâ tamen illum Societate: qui ex ipsius magistri divinatione, sacro postea Franciscanorum adscriptus ordini, semet indicavit prodiditque post viri sancti excessum, dum tabulæ de Xaverianis rebus legitimè conficerentur. Juratus enim affirmavit; se, cum stipem luculentam ab quodam Lusitano clam accepisset in Xaverii commodum, ab eo relegatum in parvam & desertam insulam, Malacæ propinquam: ubi per visum in superbo templo oblata sibi fuisset augustissima cœlestis Reginae forma, folio insidentis pulcherrimo, Deumque puerum sinu gestantis. à quo, demittere sese amanter dignato, cum manu prehensus offerretur Matri, ab hac se rejectum, vitia exprobrante, quibus esset repulsam meritis. Brevi revocatum se à Xaverio Malacam, interrogatumque de visis, omnia celasse: verum omnia sibi, ut acciderant, ab eodem Xaverio singillatim exposita.

Quod attuli proximè, cum narratione est superiori Malacensis rei conjunctum, & loco (quippe urbis in ejusdem partim viciniâ, partim gremio factum;) & ipso genere notitiæ; cum semotorum fuerit arcanorumque visorum divina perceptio. Nunc quod adjungam, cum ipsa implicatum est relatâ ex Acenis victoriâ. Cultum loquor exhibitum à Francisco Virgini Deiparæ, ac vicissim benignissimæ potentissimæque Patronæ Francisco impensum præsidium. Hujus in æde montanâ, sicut jam notavimus, inter Divinam rem faciendam agnovit Xaverius intimo cœlestique lumine turbulentum casum dissolutæ demersæque biremis prætoriaræ; simul fiduciam, certamque hausit prænotationem damni tempestivo subsidio cumulatè reparandi. Ibidem vo-



tis precibusq; insistens assiduis, enixè Adjutricem Divam implorans, animos viresque transmisit militibus Christianis adversùs barbaros pugnantibus. Sensit utique *Dominam victoriæ* MARIAM non secùs India quàm Europa; istoque pariter nomine Victricis Dominae templa, sic tanquam religiosa extruxit ornavitque trophæa. *Mulierem fortem* Xaverius, & quavis acie terribiliorem invenit. *Procul, & de ultimis finibus pretium ejus.*

Hac ego occasione quædam alia mihi perstringenda existimo de singulari Xaverii in optimam maximam Parentem pietate. Ac primùm occurrit illa sui Xaveriana dedicatio Parisiis, cum Ignatio primisque Sociis, in Augustissimæ Virginis æde suburbanâ, quam situ Malacensis imitatur, in Monte-Martyrum; & luce in cœlum Assumptæ Virgini sacrâ. Jamtum arctam, spineam, cruentamque in cœlum viam affectans; ibi præter gemina paupertatis & castitatis perpetuæ vota, sanctè Deo promisit Hierosolymam se transmissurum, non simplicis & usitatae peregrinationis ergo, sed potissimùm curandæ infidelium conversionis, vitæque ob amorem Christi Domini profundendæ. cui transmissioni si quo Divinæ Providentiæ consilio locus non daretur, operam se Pontifici Romano ad Evangelicas missiones, nullo vel stipendio exacto, vel tempore locove excluso, delaturum. Jam verò designatus Indicæ vineæ cultor, susceptaque profectio, Lauretanum adiit Genitricis Divinæ sacrarium; illi, quod aggrediebatur, iter immensum, opusque planè heroicum ardentissimè fidentissimèque commendans, per ipsam Deo immortalis, Christo laborum suorum duci, viæ metæque, commendandum.

Inde progressus Olyssiponem, præcipuo sanè animi sensu coluit Bethlemiam, quæ vocatur, ædem, in ipso aditu atque ore portûs Olyssiponensis conditam ab Henrico, Eduardi Lusitaniæ Regis fratre. qui Princeps & bellica fortitudine, & mathematicarum disciplinarum scientiâ, & morum præsertim sanctitate, illibatoque, ut creditur, virginitatis flore, quàm regio sanguine illustrior; cœlesti voce stimulatus ad maturandum, quod agitabat de construendis mittendisque in Oceanum classibus, ad Evangelii per



longinquas gentes propagationem; **MARIÆ** Virginis Deiparæ, quam mirâ observantiâ venerabatur & navigationis auspiciem constituebat, nomini honorique sacellum posuit; quod subinde Emmanuel Rex in amplissimum templum exædificavit, collocatis in ea statione sacrorum ministris frequentibus ad classiariorum animos Christiano ritu procurandos. Itaque hanc expeditionum Indicarum communem certamque Præsidem Xaverius peculiari propriaque sibi ratione adjungens, toto, quàm longus fuit, cursu eximiam venerationem Matris amantissimæ ac beneficentissimæ pertulit in Indiam; ubique locorum fovit auxitque omni curâ & industriâ.

Neophytorum multitudinem Christianæ imbuens doctrinæ rudimentis, seu Fidei Symbolum Apostolicum, seu legis Divinæ Decalogum explanaret, singula ex ordine tradita capita consignabat precatione geminâ, ad Christum Dominum alterâ, qua gratiam, prout ferebat res, vel ad fide tenendum articulum, vel ad opere implendum præceptum, simul omnes orarent: ad beatam Christi Matrem alterâ, ut eandem clientibus optatam gratiam à Filio exoraret. Quin perpetuâ & spectata significatione cultum Franciscus docebat Marianum, cujus insigne collo circumdatum gerebat: ut olim instituerat, è Galliâ per fines Germaniæ contendens in Italiam. medios inter Lutheranos, ad profitendam Catholicam Religionem, unâ cum sociis coronam precatoriam cervice suspenderat; eâque coronâ è vilibus globulis confertâ, at **MARIÆ** dicatâ, ornatiorem se, quàm vel aureâ torque, vel gemmeâ coronâ ducebat. Sed illiusmodi Xaveriana corona in orâ Piscariâ non tam precum habebatur instrumentum, quàm miraculorum. Vagabatur per manus populi; ac pueris avidè expectantibus præbita circumferebatur ad ægros, quos ipsi præ infinitis occupationibus Apostolo visere non vacabat. & salute attactum confestim sequente, Davidicis verbis gratulari cum singulis infirmorum jam sanatis, Francisce, poterat Deo, *qui coronat te in misericordiâ & miserationibus; qui replet in bonis desiderium tuum.*

Sensit istius Virginæ coronæ mirificam vim pius mer-



cator; cui valedicenti in procinctu ad conscendam navim, pignusque aliquod amicitiae roganti, Xaverius collo detractam coronam dedit, munus ornans locupletansque promisso; quamdiu secum eam haberet, maritimo casu nullo perituro. Constitit vaticinationi fides. Mercator facto naufragio, cum aliis nonnullis vectoribus in tabulata raptim composita defluit. Tunc alienatis à praesentissimo periculo sensibus, agere sibi cum Patre Francisco visus est illo ipso loco, ubi coronam acceperat. Quinto post die ad se rediens, ac velut alto placidoque somno solutus, vidit se extra omnem aleam periculi in littore collocatum, nec comitibus nec tabulatis usquam comparentibus.

Ita suae in Virginem pietatis insignibus utebatur ad miracula Xaverius: nec verò minùs directis ad eam precibus votisque conceptis. Vel illius scaphae, procella abreptae, de qua tertio capite scriptum est, recurat memoria. Negabat, maternae bonitatis potentiaeque conscius, perire eos posse, quos ejus tutelae commisisset, quamvis in altum turbine ablatos, in apertum extremumque discrimen projectos: quorum pro salute (Mauris praesertim duobus, in scapha deprehensis, aeternam perniciem avertere laborabat) ter se Malacae in cella montana Deiparae facris operaturum vovisset. Atque in suo ipse summo periculo, ex tempestate, quantam antea vidisset nullam, cum essent vectores nautaeque desperatione abjecti, dolore exanimati; quò faciliùs (ait mirà cum animi demissione, in epistola ad Socios Romanos) delictorum meorum innumerabilium veniam impetrarem, sanctissimam Dei parentem adhibui, quae coeli Regina nullo negotio, quidquid orat Filium, exorat... tantisque praesidiis circumseptus, quantam explicare nequeam, perfruebar voluptate.

Quam verò assiduus fuerit in ambienda precibus Angelorum hominumque Regina Xaverius, insigne documentum edidit Meliapore in templo D. Thomae Apostoli, quem duces intuebatur, primum Evangelii per Indias factorem. Commodum amicumque sibi, homini per diem occupatissimo, noctis otium ac silentium captans, aedi sacrae irrepebat, monitus licet infestae spectris daemonumque horrendis



ſimulacris viâ malè credi. At ille, quâ erat altitudine animi, ludibria iſta minasque contemnens, ad aram Virgini Matri inſcriptam pernox conferebat ſeſe: nec objectis immanibus formis deterritus, nec diriffimis infernorum hoſtium verberibus eſt prohibitus ab illis pietatis excubiis. Ubi primùm à ſæviffimis plagis convaluit, eandem repetiit officii religioſi ſtationem; ipſosque illos terriculamentorum & malorum omnium machinatores, ne quid in ſupplicem Acoemetam auderent, conſtantiâ ſuâ deterruit; ac nimirum Dominæ, cui noctes dieſque puriſſimo animo caſtiſſimoque corpore ſerviebat, præſenti favore auxilioque fregit. Nec ſemel hoc præſidio evaſit dæmonum victor; ſed perpetuo conflictu, quanquam non externo itaque tumultuoſo, exercitus, atrocitatem conatusq; omnes tenebroſarum furialiumque poſtatum deſpexit atque obtrivit. Per ſe quidem ſævire in hoſtem capitalem, tyrannidîſque ſuæ everforem, violentos graſſatores non aliâſ paſſus eſt omnium certaminum arbiter Deus: at innumeris modis agitare Xaverium, infectarique per ſuos; per idoneos conſceleratoſque homines, odii ſui furorîſque ſatellites, crebrò vim quoque plagasque inferre permisit: quod variis ſuprà locis notavimus.

Fraudibus autem quid non egit nequiſſimus ille ſpiritus, erroris impii ſuperſtitionîſque artifex & materies, cunctique flagitii princeps! in Japonicâ maximè navigatione, quam interturbare proſuſq; impedire nitebatur, ne regno ſuo, ultimoque receptu & angulo terrarum exturbaretur. Cùm habere in ſua poſtate videretur Xaverium; qui Japoniæ percupidus, alio deſiciente navigio, credere caput ſuum piratico lembo, cœleſti ope conſiſus, non dubitarat; Apoſtolicum virum adverſarius Tartareus, prædo animarum teterrimus, vexare inſtituit per ethnicum navicularium, à nutu ſuo pendentem; idolique, quod invitiſſimo Xaverio colebat, reſponſis fallacibus maritimos curſus moderantem. Non ſolùm trahendis moris, captandîſque, contra fidem & pacta, Sinarum oris & portubus pro Japoniis, ſancta eludere conſilia ſtudit; ſed ipſe & minacibus dictis præconem Evangelicum petiit, & dolofiſ factis



casibusque ad sanguinem incitantibus. Verum artes illæ omnes machinæque irritæ ceciderunt, agente apud omnipotentem Filium Virgine, patronâ certissimâ. cujus ut beneficio intelligeretur Japoniæ aperta Francisco janua, ipso Assumptionis festo die applicuit Apostolus: illo, illo die, quo prima de sacris expeditionibus vota quondam ediderat, annisque singulis, quamdiu Lutetiæ restitit, instauraverat, & solenni augustoque die, & loco Regiæ Martyrum Coelestiumque omnium gloriosissimæ consecrato.

Jam Evangelicæ in Japoniâ prædicationis ab eadem Virgine ducta primordia; cum Paulus à Sanctâ Fide, Japonum Christianorum primitiæ, ab Xaverio piè institutus, Matris Virginis, *JESUM* puerum gremio foventis, eleganter pictam effigiem produxisset, ex mandato Francisci, coram Saxumano Rege, qui cum Regina eam veneratus est, ultro subsidens in genua, jussitque ab aulicis pariter universis adorari. Quid, cum ad Bungensem Regem honorifico, in Evangelii commendationem promulgandi, comitatu apparatuque deductus fuit Xaverius à Lusitanis, qui Figensem ad portum sub id tempus appulerant? *MARIÆ* Deiparæ imago, pompæ ferculum spectatissimum, prælata Apostolo Religionem Christianam invehenti. Age verò, quid haberet propositi Franciscus ad cultum excitandum Virginis, ab omnibus terrarum gentibus ætatibusque beatæ agnoscendæ & celebrandæ, litteris ad Petrum De Sylva, Præfectum Malacenum, Cangoximæ datis præclare significat. Et quidem præfatus initio litterarum se in Japoniam denique pervenisse *fausto & auspicato die, Assumptæ in cælum Deiparæ sacro*; sub finem consilio jam studioque designat *Meati templum Deo dicatum in honorem sanctissimæ Deiparæ Domine nostræ; ut qui deinceps in has insulas navigabunt, in horribilibus illis Sinici archipelagi procellis invocare possint Divam Virginem Meacensem.* quæ mutuata verba sunt à doctissimo Possino, Xaverianarum epistolarum novo pleniorique interprete. Invocavit ipse ad extremum spiritum Apostolus Matrem Divinam, suamque felicissimâ experienciâ probavit. animum virginalem  
in



THAUMATURGUS.

121

emisit in parentis optimæ sinum, ejusque manibus commendavit amantissimo Filio offerendum. Jamque multiplici laureâ & immortalî palmâ donatus, non Badagas modò & Acenos Maurosque profligatos, sed procellas, sed morbos, morbisque graviore corruptelas carnis, ac demonum vim & insidias ex omni parte superatas, ipsius potissimùm ope, debita cum laude aternaque veneratione, *Domine* in clientibus etiam *Victorici* ac triumphanti gratulatur.



Q





## CAPUT V.

Iconum Pari quinto respondens.

*Xaverius mari imperans. Tabul. IX.*

*Xaverius naufragus. Tabul. X.*

## PARS CAPITIS PRIOR.

*Qualis est hic, quia venti & mare obediunt ei!*

Matth. VIII.

**N** IHIL est inobsequentius mari & ventis, quibus ludibrium ornatissimæ classes debent, Regumque summorum potentia. Non tulit mare jugum sibi impositum à Xerxe, pontem nauticum, quo juncta confertaque Europæ Asia: tempestate excussit disjecitque, vix naufragium capiente Hellesponto. Et insaniebat, qui velut naturæ ipsius dominus, flagella mari tanquam mancipio infixit. Unius est Dei, *a* legem ponere aquis, & in arena ipsâ fixam præscribere. *b* Hic confringes tumentes fluctus tuos. Illius est, *c* qui producit ventos de thesauris suis, eosdem revocare & concludere.

Bis Christus, ex historiâ Evangelicâ, imperavit ventis, & furentibus quasi frænum injecit: tumultuanti mari *d* silentium tranquillitatemque indixit. Creatorem creatæ

*a* Proverb. 8.      *b* Job 38.      *c* Psal. 134.

*d* *Comminatus est vento, & dixit mari; tace, obmutesc.* Marc. 4.



res, uti Hieronymus commentatur, quas increpavit, sentiunt imperantem; non errore hæreticorum, qui omnia putant animantia; sed majestate conditoris, quæ apud nos insensibilia, illi sensibilia sunt. Quod discipulis magister optimus-maximus præstitit; semel, à periclitantibus trepidè oratus; iterum, preces laborantium antevertens: id verò, Xaverii causâ, egit sapius, turbinès ut comprimeret, freta placaret; ac per Xaverium egit: ipsius ore procellis fluctibusque imperavit. Tua hæc virtus, Christe (Severi Sulpitii ex Dial. 1. voces usurpo) tua sunt hæc, Christe, miracula. etenim, quæ in nomine tuo operantur servi tui, tua sunt.

Verumtamen ab homine sedatam in sacris extare litteris haud memini tempestatem maritimam. Maritimam dico: nam cœlo tonante excitam, terrisque incumbentem grandine cum igni commistâ, idem qui excierat, discussit Moses. Jonâ quidem in mare dejecto, tempestatas (quod veracior, quàm obedientior vates prædixerat) propter ipsum immissa, quæ fugientem persequeretur, sic tanquam hostiâ piaculari irato Deo redditâ, confedit. Paulus autem Romam navigans, adversaque jactatus tempestate, audivit ex Angelo: *Ecce donavit tibi Deus omnes qui navigant tecum.* sed ita donavit, non ut quietiore mari cursum tenerent; at facto naufragio salvi tamen ut evaderent. Haud eos modò, qui unâ veherentur, Xaverio concessit incolumes; verùm absentes quoque conservavit ejusdem respectu ac merito; seu quibus pium aliquod munusculum, velut symbolum pignusque liberi tutique com meatûs, à Francisco datum; ut supra de coronâ precatoria narratum est; sive quorum aut personis aut rebus impensa fausta precatio, & nonnunquam in perpetuum fidelissimis promissis parta securitas. Tria quatuorve selecta in specimen exempla breviter afferro.

Partâ ex Acenis victoriâ Goam cùm tenderet Xaverius, quam conscenderat onerariam, usqueadeo fœda atroxque tempestatas Ceilanum ad sinum invasit, perpetuâ triduum ipsum nocte occupante, ut jacturâ factâ præsens animis, oculisq; vectorum nautarumq; obversaretur mors. Jamque na-



vis permiffa ventis, in fyrtes, vel pacato mari illic exitio-  
 fiffimas, abripiebatur; cùm Xaverius, qui serenitate oris  
 & fuavitate orationis in confternatione summâ unum erat  
 miseris levamen; cunctosque rite expiatos ad vitam mor-  
 témve pari fubmiffione voluntatis à Divino arbitrio fuf-  
 cipiendam hortatus, Chrifto è cruce pendenti fupplex  
 acciderat; fiducia mirificâ exurgit, bolidemque fumens  
 in manus, ac plumbo fragmentum ex imâ togæ fuæ orâ  
 decerptum illigans, funiculo in æftuosiffimum demittit  
 fretum, Unius Trinique Numinis perfonas invocans no-  
 minatim, & mifericordiam affufæ turbæ fibique implorans.  
 Cadit illico ventus, mare detumefcit, navis expedito  
 curfu perfertur.

E Japoniâ verò idem rediens, cùm effet infanâ violen-  
 tâque exceptus procellâ, quæ navim in maria abftulit ig-  
 nota, & cœcis per quinque continenter dies nubibus cœ-  
 lum obtexit; ipfe poft operam fedulò purgandis confir-  
 mandisque animis navatam, ac manus etiam ftrenuè ad  
 nautica ministeria adhibitas, communem efficacius caufam  
 apud Deum agebat, precibus jam quaternas, jam quinas  
 horas trafigens, fub tabulata abditus, tantaque in jacta-  
 tione immotus. Cui dum pietatis officio incumbit; re-  
 pentè lamentabili conclamatione aliam Virginem appel-  
 lantium excitus accurrit. Irruerant immanes undæ à prorâ,  
 à puppi; vastoque impetu fuperfufæ navim deprimebant.  
 Confufi paffim cum vectoribus nautæ jacebant, quod  
 comprehendere primum quifque potuerat, retinaculum  
 complexi, ne turbulentâ agitatione excuterentur in mare;  
 & lignis quæ arripuerant, ex navis fubfultu capiti incuffis  
 faucii multi; omnes miferabili voce Divinam clementiam  
 invocantes. Exclamat ipfe commiferans, fed eâ voce quæ  
 cœlum penetret, quam Superi exaudiant. *JESUM, amorem  
 animæ fuæ* (cujusmodi tenerâ Chrifii appellatione frequens  
 utebatur) obfecrat per quinque vulnera, pro nobis in  
 cruce excepta, ut opem ferat. Simul cum hac brevi, fed  
 flagrantiffimâ obsecratione, navis quæ jam aquis oppleta  
 fubsidebat, effert fe atque emergit: nautisque certo & ma-  
 nifefto miraculo excitatis opportunitatem præbet vela ex-  
 plicandi, captataq; fecundiori aurâ curfum perfequendi.



Tum scapha illa, cujus facta jam variâ occasione mentio est, turbine divulsa ab onerariâ dispulsaque longissimè, reducta à Xaverio fuit absente: si tamen absens dicendus est, quem viri quindecim in eâ deprehensi, quosque in navim recipi prohibuit subita procellæ vis, secum agentem, etsi tum esset in onerariâ, coram aspexerint; recreantem animos, & omni formidine & sollicitudine abstersâ reficientem audierint; novâ quadam arte, peritiâque rei maritimæ scientissimis ignotâ, naviculam elusis fractisque fluctibus gubernantem obstupuerint. Eâque Xaverii species ita scaphæ vectoribus inhæserat, ut eam cum nauta in onerariâ curans vellet religatam submovere, intercesserint illi jam recepti in navim, clamitantes, dextram ut antè Patri Sancto porrigeret, adhuc in scaphâ hærenti. ac demum cognito, semper in onerariâ Xaverium fuisse, par illud Maurorum (quorum is maximè vicem sollicitus, dies noctesque suppliciter pronus lacrymis & singultibus junxerat) è tanto ereptum periculo, spectatissimoque miraculo persuasum, Christi Numen Sospitatoris agnoverit protinus, baptismoque suscepto gratè piæque coluerit. Voti compos Franciscus, adhuc mari inhorrescente, rursusque adversante vento, navicularium admonet, expediat vela: faventem ferentemque ventum adpromittit, & scilicet conciliat; morâ charitati, dum scapha expectaretur, salutique sociorum impensâ feneratum, qui statim, præter omnem artis experientiæque fidem cœli marisque mutatâ facie, afflatam navim ad Sancianum portum brevi pervexit.

At isto quantovis prodigio & onerariæ liberatæ, & servatæ scaphæ, ventique ex insperato validè placideque adspirantis, majus aliud longiusque ac latius patens & divina cognitione & periculi depulsione subjiciam. Familiarem cum eodem illo naviculario, cui nomen erat Aghiaro, sermonem habens de gravissimis creberrimisque navigationis periculis, amico spondit ex Divino afflatu Xaverius, ipsum mari non extinguendum, neque ullum ipso moderatore periturum navigium. perinde quasi diceret, potiori longè ratione certiorique fide, quàm Cæ-



far olim apud Lucanum animos trepido additurus gubernatori:

*Medias perrumpe procillas*

*Tutelâ secure meâ.*

Hujusmodi prænuntiatione ita securus evasit Aghiarus, nullo ut deinceps aut navis discrimine, aut tempestatis, mari se daret. Quare ejus rationem fiducia ignorantes, vulgò temeritatis damnabant hominem; qui saviente hieme, qui vetustâ & ruinosâ naviculâ non vereretur ultro citroque commeari. Certus incertos ille casus pervadebat. Et contigit aliquando, ut ad Peguanos institutâ navigatione, dum firmissimæ naves, unâ profectæ, discerperentur fluctibus, scopulisque illis diffringerentur; ipse lembo, qui vix esset anni tranando, intrepidus, mollitèrque ut in summa tranquillitate, puppi acclinatus, inter horrendos undarum fremitus stridoresque ventorum caneret. Cùmque ex eo vectorum quispiam quæreret; fatin' sanus, qui isto rerum articulo gauderet? & quæ, cunctis præsentimorte contremiscentibus, tam dira canendi libido? sibi verò nihil timendum haud cunctanter respondit; ne si maria quidem cœlo omnia miscerentur; vel si vitreum ageret lembum; cuncta Patre Francisco præstante pericula, ab eo sibi prædictum, in terrâ se diem obiturum; salva quæcunque gubernaret, illasque à maritimis casibus fore navigia. Quo promisso exhilarati mirum in modum vectores Christiani: & qui fortè aderant in turbâ Mauri, Christo nomen se duros receperunt, ut primùm terram sospites attigissent. Datamque fidem, aliorum naufragia conspicati, incolumes latique liberarunt, divinæ Fidei mysterio lustrati.

Atque hoc quidem amico Xaverius Aghiaro dedit, ut navigia omnia gubernator à fluctibus tuta invictaque redderet; Jacobi verò Pereriæ navi tribuit, ut ipsa vectores extra omnem periculi maritimi aleam poneret. Digressus ab illâ quam modò servaverat, & ubi vaticinationem ediderat superiorem, conquassatâ navi ac per hiemem in portu reficiendâ. Pererianam conscendit Apostolus, Malacam festinatò petens, inde Goam ob ingentia negotia revisurus, & naulo ab aliis pendi solito pretium attulit sanè lu-



culentius, ipsam navigandi facultatem. simul enim atque ascendit in navim; qui jam inde à quindecim diebus profectiōni obstabat Indicæ ventus, obsecundavit. Ibi, dum tranquillum iter habetur, cum amicissimo navarcho de Japonicis rebus, deque Sinicâ, quam meditabatur, expeditione agebat; nec non de Malacæ à barbaris obsidione solutâ, navique illic paratâ sibi percommode ad urbem Goam redituro. Quæ omnia sic exponebat, longissimo tractu locorum diffitus, ut oculis usurpare singula videretur.

Atenim hæc inter pia propheticaque colloquia repente ingruit Typhon, undas rapidâ vertigine contorquens, navitarumque & vectorum animos discrimine supremo ita frangens, ut apprimè isti calamitoso tempore, conturbationiq; hominum illa congrueret è Psalmo cvi. poëtica divinaque descriptio. *Stetit spiritus procellæ (surrexit ventus tempestatis, ut interpretatur Hieronymus) & exaltati sunt fluctus ejus. ascendunt usque ad cælos, & descendunt usque ad abyssos: animæ eorum in malis tabescebat. Turbati sunt, & moti sunt, sicut ebrius; & omnis sapientia eorum devorata est. Et clamaverunt ad Dominum.* Ad interpretem conciliatoremque Divinæ clementiæ concurrerunt Franciscum universi; actum de se, trepidè complorantes, ni festinâ deprecatione certissimum averteret exitium. Nihil ad hæc Xaverius: turbæ subducit se tacitus; Deumque in secessu paulisper obtestatus, refert se in Pereriæ ceterorumque conspectum, vultu, ut semper à precibus, inflammato. Divinum aliquid ore spirans ac sonans: manuque elatâ signans onerariam faustâ cum precatōne; Navis, inquit, à Sanctâ Cruce (sic erat illa denominata) pelagi securâ esto. Non alio, quam quo fuit ædificata, loco destruetur. Haud eadem fors alterius nobiscum profectæ navis; cujus miserandum in modum laceratâ ac dissipatâ nimis certa extabunt citò documenta.

Dicta comprobavit eventus. Immanis ille Typhon, qui turbidè convolutis, & montis instar exaggeratis fluctibus jam jam navim circumactam erat oppressurus, minas in aliam partem subitò vertit, furoremque effudit. Tum illius quæ simul cum hac solverat, infelicis onerariæ per undas sparsa fragmenta, crebraque cadavera, oculis



Pereriæ sociorumque oblata, quantum Xaverio deberent; ostenderunt. *Statuit procellam ejus in auram: & siluerunt fluctus ejus. & letati sunt, quia siluerunt: & deduxit eos in portum voluntatis eorum.* Neque hoc tantum: sed Pererianam istam navim, quam lustrali signo consecrarat prophéticoque oraculo declaraverat nulli obnoxiam naufragio, semper illæsam fluctibus procellisque invictam præstitit. Et mutato nomine, jam Sancti Patris navis appellata, cunctoque nobilis Oriente, à populis ubique lætissimo plausu, ab aliis navibus festâ bombardarum explosione appellens celebrabatur. Hanc viatores avidè conscendere; huic institores quidquid carissimum habebant iu mercibus, committere: pro vectura multò amplius pretium libentissimè persolvere, nullo aut onerum modo, aut metu discriminum. Vetusstate fragilis, carie exesa, novis ac validissimis anteponebatur navibus. Triginta ipsos annos Francisco superfuit, verissimi testis Prophetæ; & tempestatibus sæpè, & præliis nonnunquam cum Acenorum navali exercitu commissis egregiè perfuncta. Tandem in navale, ut reficeretur, subducta, jam vacua, jam prorsus emerita, sponte dissoluta est.

Sed ecce aliud ex alio miraculum. Tenuis naviculator ex ista lignorum congerie, quæ solis apta ignibus videbatur, tabulam exemit, suæque assuit biremi; ratus à sancto viro vim mirificam, navi inditam, singula in ejus onerariæ membra permanasse; eandemque adhuc solutas partes, quam coagmentata obtinuerant, retinere. Neque hominem pia fefellit sententia & fiducia. Certo velut sacroque pignore inviolatus, perpetuâ felicitate longinquos ac periculosissimos explevit cursus. ac pari, ut ita dicam, fato biremis navim est subsecuta; & ipsa, cum esset in portum compulsâ ad sarcendum, ultro soluta in tabularum acervum confedit.

Plura Xaverii & miracula & vaticinia circa tempestatibus clarissima possim adducere: sed hæc abunde in specimen. Et jam tertii capituli parte priori dictum est de Thaumaturgi nostri in aquas imperio, sive cælestem, pluviâ deductam; sive maritimam, potui temperatam. Uno Crucis ductu

ama-



amaritiam absterfit; & aquam illam salſam, fontibus dulciorem laudatiſſimis effecit. Quâ expurgatione ſubitâ & delinitione aquæ Franciſcus Eliſæum eſt imitatus. Nunc, quod hic egit, ut ſecuris ferrum elapſum, & aquâ merſum, immiſſo ligno evocatum intactumque efferret ſeſe, ac ſupernataret; id cumulatè duplici inſignique miraculo compenſatum à Xaverio, ſubjungatur.

Baranuram inſulam petente Apoſtolo, cùm ſæviffima tempeſtas eſſet oborta; iſque placandi maris gratiâ, cruci affixi Domini breve ſimulacrum, quod geſtare collo ſolebat, in undas demiſſet; contigit, ut procellæ impetu vehentiſſimo è manu excuſſum decideret in profundum. Eo Xaverius caſu acerbiffimum hauſit dolorem, cujus inuſitata in vultu ſigna extitere, à comitibus obſervata. Poſtridie perventum ad inſulam: factâque exſcensione Pater unâ cum Fauſto Roderico, Luſitano (qui, præter alios teſtes, rei ſeriem totam expoſuit, publicumque teſtimonium jurejurando adſtrinxit) littus legebat, iter habens ad pagum Tamalum. Jamque milliare dimidiatum confeſerat, cùm exiſtit è mari cancer, longè ab eo loco delapſam in undas effigiem Chriſti crucifixi reportans chelis mordicus ſublata. Deſtinatò ad Franciſcum natat; hæretque in ejus conſpectu, præſtolans donec ſacratum à Patre ſignum recipiatur: quo reddito, ſub aquam ſemet ipſum recipit. At benignitatis Divinæ munus pignuſque cariffimum, de genibus ſummâ cum reverentiâ ſulceptum, artiſſimè complectitur Xaverius; amantiſſimèque exoſcultur, eodem loci veſtigio, ut erat nixus genibus, per horæ dimidium tenerrimo ſuaviſſimoque animi ſenſu gratias agit clementiſſimo Domino; ſimul comite deſixo admiratione, & intimis ſenſibus congratulante immortalis Deo erga mortalem tam benefico, mortali apud immortalem Deum tam gratioſo.

Neque alterum nobis eſt omittendum, ferro quod ſecuri lignatoris exciderat in Jordanem, ex imo amne per Eliſæum excitato & natante haud paulò majus oſtentum. In ultima ad Sancianum Apoſtoli navigatione, Mahometani cujuſdam filius quinquennis margini aſſidebat onera-



riæ, plenis tumentibusque velis impulsæ celerrimè. Atq; in hoc cursu puer levi in eam partem, ubi sedebat, navis inclinatione excutitur in Oceanum, & continuo absorbetur. Parens mœrore obrutus, in latebras infimæ navis se condit; ibique luctu sepultus, triduum exigit perennis lacrymis. Necdum exhausto fletu cum prodisset, incidissetque in Xaverium, adhuc casûs funesti ignarum, dolorisque tanti causam exquirenti indicasset; animo in coelum erecto sciscitatur Apostolus, in omnem sancti Christûs occasionem intentus; sitne filiolo sibi restituto Christum veneraturus? Nihil iste cunctatus, accipit conditionem: alteroque triduo exacto cernit puellum, eidem, unde præcipitarat, navis crepidini insidentem, lætum ac ludibundum. Hic quo stupore, quo gaudio afficitur! Ruit ad pedes Francisci; Mahometem execratur. ac quemadmodum, post alteram à Christo sedatam procellam, ii qui erant in navicula, *venerunt & adoraverunt eum, dicentes; verè Filius Dei es*; ita pater sex antè diebus orbatus, post reditum sibi filium, à morte & quasi sepulcro maris excitatum, verè Deum profitetur Christum ipse totâ cum familia: puerumque ex illo, cuius operâ agnoscebat recuperatum, appellari in baptismo Franciscum voluit, ut ipso nomine testaretur gratareturque beneficium.

Ex omnibus, quæ ab Xaverio gesta in hac parte commemoravi, dubites, marine an terrâ potentior extiterit. adeo mirificum utrobique se præbuit! At sibi ubique similem egisse. paremque obtinuisse potestatem, fateri nos cogit miraculorum terrâ marique editorum, atque inter se quodammodo certantium, magnitudo. Iisdem Apostolus valebat in navi, quibus in urbe promeritis. & propria tamen aliqua sunt navigationum, in quibus omnipotenti Domino ita se obsequentem gessit Franciscus, ut certum in ventos & maria imperium consequeretur. Ac primùm in Lusitania, sub ipsam conscensionem, Casteneriano Comiti, instruendæ classi præfecto, restitit constantius, ne quid acciperet, quàm solerent alii instare avidius, ut amplius acciperent. Nec verò, quidquid ad usum commodumque faceret, illo etiam atque etiam offerente admittere quid-



quam sustinuit præter lacernam pioſque aliquot libellos. Atque eodem urgente, puerum ſaltem decori cauſâ ut ſibi adjungi pateretur, neceſſarias ad res famulaturum; omnino reſuſcitavit; ſibi, dum manuum haberet uſum, alio negans eſſe opus adminiſtro. Itaque pro omni comœatu & viatico, paupertatem Deique fiduciam exportans, *non erubuit Evangelium*, ad infima quæque ſe demittens; nec tantum ſibi, verum & ultimæ ſortis hominibus neceſſaria curans, & ſervilia alacriter obiens miniſteria.

Precario victu ex inſtituto ſuo vitam ſemper toleravit; quamvis & Alphonſus Soſa, classiſ Indicæ Prætor, ultro atque ex Luſitani Regis commendatione & imperio, largè omnia ſuppeditaret; virique ex cohorte prætoriam nobiles ad menſam pro ſe quiſque adhibere Xaverium peroptarent. Hic ſubmiſſa à Prætoris prætorique aſſeclis omnia, & mendicatò à vectoribus corrogata, maximam partem, in egenos ægroſque diſtribuebat. Proprios in uſus tenui viliffimoque cibo contentus, naturam ſuſtinebat videlicet, non delectabat. Cubiculum ſibi aſſignatum libentiſſimè inopibus commodabat; ſuoſte cubili inferebat ægros: ipſe corpus labore in multam noctem extracto oppreſſum in nuda tabulata, aut in funis ancorarii volumina abjiciebat; frequentiffimè ad pedes decumbentium ex morbo, & moribundorum, quibus omni aderat ope, ac ſtrenuè vel ſordidiſſimâ exhibebat officia. Sed nimirum curam iſtam corporum ad ſalutem referebat animorum. Verè Apoſtolicum *piſcatorem* agebat *hominum*: comitate inſeſcabat, familiarique colloquio ad expiationem inducens peccatorum, velut hamo ſacro capiebat ſingulos; publica adhortatione, catecheſi & concione, tanquam reti explicato, gregem convertebat. Et longam aliquando navigationem ſuſcepit, unius è gurgite ac cœno ſcelerum extrahendi militis gratiâ.

At enim illatâ piſcationis mentione occurrit illa charitatis & beneficentiæ ſpecies, quâ Chriſtum Xaverius expreſſit. Ut enim piſces Dominus arcano vocatu ductuque in Petri retia, poſt conſumptas irrito jactu noctes, compulſit: ſimillimè in Japonia, mari obambulans novus



Apostolus, piscatores cum videret ex aquis ferme inania retia eduxisse; frustra exhaustum laborem hominum, quibus *ars sua census erat*, spemque elusam miseratus, eadem, salutari signo à se lustrata, iterum laxari jacique in mare jubet. Quo facto ( ut valebat jamtum apud Japonas viri, humanam intelligentiam potentiamque superare crediti, autoritas ) extemplo fiducia suæ fructum cepere, piscium copiam tantam, vix ut eam pertrahere ad littus potuerint. Additaque est miraculo perennitas marinæ ad oram istam fecunditatis, maximo accolarum, piscibus ferè victitantium, commodo & gaudio.

Noluit hac parte laudis Christus imitorem sui perfectissimum carere Xaverium. Sed cujus oratu felicem diemque barbaris piscationem, amploque maris tractui fertilitatem donavit; quantam ipsi prædam, quam copiosam, captatori animarum, huc omni solertiâ, omni precum actionumque vi assidue ferventerque incumbenti concessit! De multitudine quidem non hominum, sed populorum, Evangelicis à Francisco retibus inclusorum, generatim dictum est. ad mare speciatim quod attinet; navalem ille turbam solebat in religiosæ familiæ morem modumque convertere. Hic jurgus & odiis compressis, flagitiosis amoribus restinctis, impiorum obscenorumque verborum sublatâ vesaniâ, & omni vitiorum face purgatâ, nautas vectoresque, & infimos & summos habebat in potestate, ut omnes statis publicæ precationis horis, aliisque pietatis officiis mira cum solertia indefessoque studio exerceret.

Ipsè cum eximiarum in omni genere virtutum, operumque sanctissimorum documenta per diem continua edidisset, nec partem quietis nocte capiebat, nisi post altam prolixamque contemplationem, & hæc Xaverio quies erat, divina contemplatio: cui, dum alios teneret sopor, penitus se totumque tradebat; nisi aut impendendo ægris obsequio interpellaretur, aut necessitate somni interjungere cogereetur. At hoc quidem brevissimè defunctus, occupationem suavissimam revocabat & ducebat in lucem: tametsi, Regio cum Vate intimam cœlestemque dulcedinem persentiens



dicere haberet: *& nox illuminatio mea in deliciis meis.* Etiam in turbulentissimis tempestatibus, ut antea notatum est, quietissimo animo, suasque ipse delicias vix capiens, vacabat Deo. ac pro omnium salute unus in precatone ignita lacrymisque exuberante pervigilans, quam gravibus periculis & piratarum, & procellarum, sæpe incautos ignarosque comites præripuit! quot ingruentes turbines avertit! quot jam sævientes cohibuit! Orantem audiebant venti, ut ejus nutu arbitrioque contrarii caderent, surgerent propitii; iratissima lenirentur freta, undisque compositis ad securitatem oblectationemque sternerentur. Quocirca jure Xaverium ex Apocalypsi nuncuparis, *aquarum Angelum & sanctitate pariter & potestate.*







## PARS CAPITIS POSTERIOR.

*Ter naufragium feci : nocte & die in profundo  
maris fui. II. Corinth. XI.*

**N**ON hinc Pauli exponenda mihi sunt naufragia, nec disceptandæ opiniones circa alteram loci istius partem variâ. Sat fuerit, ex communi Patrum Doctorumque interpretatione jactationis in alto, partem utramque competere Xaverio; qui naufragium ter Molucico in mari fecerit; semel in tabula jactatus per triduum, Deo duce & comite enatarit. Quòd si quis fortè miratur eum, quem proximè imperantem ventis & mari spectaverimus, nunc tabulam extremâ spe complexum, miserè cum fluctibus conflictari: miretur idem potiùs naufragum toties Paulum; quem nominassè, laudassè est; atque ita naufragum, navim ut nullam, quæ quidem in Actis legatur Apostolicis, oppugnatam à tempestate defenderit & conservarit.

Homines Deus sibi carissimos cur interdum agitari sinat vexarique acerbissimè, varias idoneasque causas Divinus Orator illâ suâ oris aurei facundiâ in Antiocheni populi concione differuit: quas ferè causas ad hanc ego summam complexionemque revocarim. Suos nimirum famulos exercere adversis Dominus amat, quò splendidius & gratia sua gloriaque colluceat; & ipsorum, qui exercentur, probetur fides, constantia perspiciatur, crescant merita, præmia augeantur. Itaque (alios ut præteream sanctos viros) Paulus, qui morbos passim vel absens levaret fugaretque; nec ab eo tamen, quem dilectum filium appellabat, Timotheo frequentes infirmitates depulit, nec se



ipsum curavit, gravi crebraque, ut est traditum ab antiquis, ægritudine exercitus. Mihi verò ille, a glorians placensque sibi in infirmitatibus, admirabilior videtur, quàm dum alienis corporibus languores doloresque expellebat. Et Xaverius, qui Apostolico spiritu quàm similimus Paulo extitit, & agendo & patiendo; ecquid verè judicanti insignior apparet in tabula de naufragio arreptâ fluctuans, quàm naves conservans, ventos refranans, undas tranquillans?

Tempestate ars gubernatoris exploratur: Apostolici vectoris animus naufragio approbatur. Quo tranquillitas experimento navicularii industriam nobilitabit? aut quis, tractandi clavi haud omnino imperitus, facili non perfungatur navigatione, sereno cœlo, aurâ secundâ,

*Mitis ubi in morem stagni, placideque paludis*

*Stenritur æquor aquis?*

Sponte suâ raris decurrit, nec; magistri manum peritiamq; magnopere desiderat. Si prospero semper optabilique cursu usus esset Franciscus; quis tantus egregiæ datus virtuti locus esset? Oceano prorsus innoxio, & quasi arridentibus aquis amico & blandiente vehatur Xaverius: utiq; felicem appellaris. Tentari jam sollicitariq; coeptum, à primo tempestatibus motu compescat; aut perturbatum, mox imperiosè componat: fanè potentemagnoveris. At pelagus modò insanâ mole & altitudine in cœlum extollatur; modò in immensam voraginem dehiscens, ad tartarum subsidat: configentibus inter se ventis navigium diripiatur, torqueatur; laceratis velis, antennis malisque fractis, excusso atque abrupto gubernaculo, illidatur syrtibus, aut scopulis impingatur; solutis compagibus dissiliat, comminuatur: ruat Xaverius in mare; fluctibus nando obludans, aut correpto navis fragmine, in littus demum ejiciatur: ac tanto defunctus periculo, repetat eandem aleam; iterum naufragus, vix ad terram evadat: nihilo tamen segnior, mari se rursus comittat; nec tertio naufragio infractus aut retardatus, eodem ardore animi per



vada & cautes, per vortices procellasque honori Numinis salutique vel gregarii cuiuspiam militis velificetur: tum verò fortem, tum planè studiosum Divinæ gloriæ, tum Christianum heroem jure ac meritò prædicaris.

Hic porrò verissimè aptissimèque accinendum è Salomonia Cantico: *Aque multæ non potuerunt extinguere charitatem.* Immo, si licet ad virtutis laudem transferre Sapientis effatum de prodigio in scelerum pœnam edito: *b Quod enim mirabile erat; in aquâ que omnia extinguit, plus ignis valebat.* Ignis ille cœlestis, Amor Divinus ille, quo æstuabat Xaverius, in medio mari & naufragio acriùs vehementiusque exardescebat: maximè in triduanâ jactatione, cùm tabulæ adhærens in omnem partem versaretur, elatus, depressus, undis sæpe coopertus, charitate fiduciaque divinâ subnixus atque invictus emineret. Huc ego vos, superi beatique Spiritus, & tantæ spectatores miratoresque virtutis, & summi periculi depulsores, neque ad unius duntaxat hominis, sed ad publicæ rei Christianæ defensionem advocarim. En, tot gentium salus unde pendeat! Uno spes Orientis asserculo vertitur & fluitat; vestrumque subsidium, Angeli, & singulorum capitum & populorum Tutelares, quos tam frequenti Xaverius obtestatione solitus est invocare, hîc potissimùm implorat. Aderant vero mortalium immortales Custodes, Divinæ Administri Providentiæ, Cœlestes elementorum Præsides: aderant, & quod perniciosi dæmones, atque hominum, Xaverique in primis, jurati hostes aère marique exitium consciverant, à viro arcebant sanctissimo, sibique conjunctissimo, tum observantiâ peculiari, cultuque assiduo; tum integritate virgineâ, ceterarumque exercitatione nobilissimarum virtutum; ac præsertim eximia charitate, in salutis humanæ ministerio ardentissimè fructuosissimèque occupatâ.

Habes tu, Francisce, quod expetere à Deo solebas in magnis gravibusque periculis, ut ne iis te liberaret, nisi ad majora gravioraque reservaret. Habes dignum animo

b *Sapient. 16.*

tuo



tuo discrimen, ubi in mediâ morte versaris: & adhuc, si quid periculosius acerbiusque esse potest, appetis; *amplius* pro more tuo exoptas. Virtus, ait Orator, in tempestate sævâ quieta est. Xaverii non quieta solum, sed erecta, cœloque affixa, ex uno Dei nutu suspensa. *Mirabiles elationes maris* naufragus contemplatur; mirabilem in administratione rerum, Providentiæque ordine, atque in ipsa vexatione suâ Dominum veneratur; *c ad tenendam propositam spem, quam sicut ancoram habet animæ tutam ac firmam, & incedentem usque ad interiora velaminis.* Nec terram petit, nisi laboris novi gratiâ; ad eas profectò oras ejici cupiens, ubi plurimum Dei Servatoris causâ desudare habeat: se-cumque præclare actum putat, si vel naufragio ad gentem aliquam Christo lucranda perveniat.

c Hebr. 6.







## CAPUT VI.

Iconum Pari sexto respondens.

*Xaverius mortis victor.* Tabul. XI.

*Xaverius moriens.* Tabul. XII.

## PARS CAPITIS PRIOR.

*Et quis potest similiter sic gloriari tibi? Qui sicut  
listi mortuum ab inferis de sorte mortis in verbo  
Domini Dei. Eccli. XLVIII.*

**E**LIAE gloriam Siracides acclamatione prosequitur, cuius Prophetæ jam egregia quadam facta attigerat. Nos quoque superiora illa perstrinximus, variis modis cum Xaverio communicata: & consequentia pleraque ejusdem Thesbitæ decora in Thaumaturgum novum quadrare, aut magnificè compensari ostendemus. Habet hoc quidem Elias proprium ac singulare, quod igneo curru sublatus & turbine in cœlum ascendit. Nemo se in hujus tantæ sortis gloriæque offert societatem; nec Henochus ipse, propagandæ ad mundi suprema tempora vitæ, reversionisque in hominum consuetudinem, & acerrimæ cum Antichristo contentionis exituræ socius. Nam translatus hic solummodò perhibetur; apertone raptu ac splendido, an obscuro & arcano, proditum non est sacrâ histo-



riâ : sed à Magno Gregorio *a* inferioris gradûs ordinis que qualis demum cunque hæc translatio , quàm Eliæ subvectio reputatur. Cetera ferè, quæve à mirifico vate gesta, quæve in eum congesta à Deo dona, quamvis extraordinaria, ab excellentibus quibusdam viris, aliud ab alio, variè participata sunt ; ab Elisæo pleraque, ac mortui nominatim excitatio.

Princeps ordine temporum Elias in hoc miraculi præcipuo genere extitit : ab Elia primùm mortuus ad vitam revocatus legitur. ac ne unicus ante Christum suscitator esset mortuorum, ab Elisæo factum est. Siquidem Ezechielis c. xxxvii. quod refertur de campo strato aridis ossibus, quæ ad Prophetæ vocem coaluerint ; inductisque nervis, succrescentibus carnibus & cute superextentâ consurrexerint, advocato & intromisso spiritu, vixerintque ac steterint ingens exercitus ; mysticum id totum est, populique Israelitici ad lucem libertatis excitandi, in patriæ conspectum jucundissimum & quietam sedem revocandi simulacrum. Solus omnino in veteri Testamento post magistrum Elisæus mortuo vitam reddidit, nec semel, aut tantùm in vivis agens ; sed (quod admirabilius est) mortuus jacens, sepulcro suo injectum cadaver corporis sui contactu redivivum excitavit.

In sacro Novæ Legis instrumento plura tanquam spolia relata de morte conspiciuntur. Revixit Tabitha vidua, Petri beneficio; Pauli, Eutychnus adolescens. Jam olim Christus Apostolis omnibus, cùm primùm eos ad Evangelii promulgationem intra Judææ fines mitteret, Matth. c. x. potestatem dederat mortuos suscitandi. Sed eamne facultatem Petrus, aliusve Collegarum quispiam tunc in usum redegerit, Evangelica non docet historia. Missos à Christo Duodecim viros pœnitentiam prædicasse, & dæmonia multa eiecisse, & unctos oleo ægros sanasse Marcus refert. Discipuli verò lxxii. à simili excursionem & piâ quasi velitatione reduces, apud Magistrum Dominumque sibi etiam

*a Et ipse ordo in eorum quoque utrorumque sublevatione per quædam incrementa distinguitur &c. Homil. 19.*



dæmonia subjecta gratulantur, Luc. x. Hæc ipsa tamen, quanta quanta est, victoria cum illâ quæ reportatur ex morte, non adæquatur ab Ambrosio. *Liberare à demone & homines, sed in verbo Dei possunt* (ait Comentariorum in Lucam libro quarto: ) *resurrectionem mortuis imperare, Divina solius est potestatis.* Verùm & hominibus isthæc potestas fuit interdum communicata; quod superiora exempla demonstrarunt; posteaque Xaverio amplissimè contributa est; ut non singulos modò, sed omnes unus, sacrosanctæ historiæ veteris ac novæ monumentis consignatos, miraculorum effectores numero excitatorum à mortuis longè superaret.

Neque habebit religioni exuperantiam istam agnoscere & confiteri, qui meminerit illud Christi Domini haud magnificentius, quàm verius promissum. *Qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipse faciet, & majora horum faciet.* Joan. xiv. Tres duntaxat numerantur excitati à Christo mortui: quanquam & Mosen Patres aliqui existimant, ubi cum Elia Dominicæ Transfigurationi interfuit, resumpto corpore ad vitam excitatum: & monumentis post Christi mortem apertis, *multa corpora Sanctorum, qui dormierant, surrexerunt, & exeuntes de monumentis post resurrectionem eius venerunt in sanctam civitatem.* Vita, b Christus est: claves c habet mortis; nec quisquam, nisi ejus beneficio, referare tumulos potest. Impiè verò delirabat Plinius, cùm scripsit, *ne Deum quidem posse omnia. Namque nec sibi potest mortem consciscere* (impotentiam, furiose, vocas, perstandi vim infinitam, felicissimamque sempiternæ vitæ necessitatem?) *nec mortales eternitate donare, aut revocare defunctos.* Potuit, potuit Deus immortalis, humanâ assumptâ naturâ, emori; mortuosque non tantùm per se ipsum, sed etiam per alios mortales revocare. Xaverio quidem, potentia suæ clementiaque administro idoneo, qui tot animorum millia à peccatis excitasset, autoritatem impertiit defuncta corpora sæpissimè excitandi. quæ laus insignitè exprimitur in for-

b Joan. 1. & 14.

c Apoc. 1. & 3.

Isai. 23.



mulâ Martyrologio Romano adscribendâ; *Indiarum Apostoli... magnitudine miraculorum, præsertim in suscitandis mortuis... toto orbe conspicui.* Martino Ecclesia tantam canit à Domino collatam gratiam, *ut mereretur fieri trium mortuorum suscitator magnificus.* At ille jam suprâ laudatus à me Zambeccarus, utriusque Signaturæ Referendarius, in oratione quam habuit coram Summo Pontifice Gregorio xv. in Consistorio publico, agens de Xaverii miraculis planè Apostolicis; *Certè mortui, inquit, ad vitam restituti, ut cetera taceam, quamvis in Relatione habitâ coram Sanctitate Vestrà quatuor tantummodo numerentur (qui Pontificiis de Xaveriana Canonizatione litteris intexti) tamen non pauciores quàm viginti in actis proferuntur.* Jam verò ab eo tempore septem & viginti alios vitæ redditos juridicè constat; quantum haud scio numerum ab ullo præterea Sancto excitatum.

Sedenim tantis accrescit miraculis admirabilitas, variis ex adjunctis; quorum nonnulla in Officio leguntur Ecclesiastico, hisce verbis perstricta. *Plures mortuos revocavit ad vitam: inter quos pridie sepultum, erui jussum è tumulo, suscitavit; duosque alios, dum efferrentur, apprehensâ eorum manu, parentibus è pheretra vivos restituit.* Singulis immorari persequendis non vacat: id, quod primo loco signatum est, paulò distinctiùs exequar. Colani in urbe maritimâ, haud longè à Comorino promontorio, cum pauci à Xaverio oblatae veritatis luci oculos aperuissent, plerique avitæ superstitionis caligine involverent sese; ac legis Evangelicæ miratores quidem, sed iidem pervicaces, probarent meliora, deteriora sequerentur: in ædem sacram, ab Apostolo extractam, convenerat civium multitudo curiosa, non docilis; verbâque facienti aures utique, non corda præbebat. Tum Xaverius hominum voluntariam cœcitatem duritiamque miseratus, pectoris ad Divinam gloriam ardore in vultum erumpente, oculos cum animo in coelum erigit, defluentibus ubertim lacrymis. Congruentem auditoribus petit suppliciter à Patre luminum gratiam, quæ penitens dispulsis tenebris animos flectat refractarios; nec patiatur **JESU CHRISTI** Domini verbum sanguinemque optato fructu debitoque fraudari. Illico tacitum accipit respon-



sum, nihil sibi eorum, quæ postularet, negatum iri. datamque sibi optionem dat ipse populo, quam olim Judæo Regi Vates Evangelicus; *d* petant sibi signum; quocumque demum ostento comprobata velint Christianæ Religionis, hactenus frustra à se verbis promulgatæ, veritatem. Cumque illi succurrisset, pridie sepultum in eo, ubi concionabatur, loco fuisse hominem; agedum (inquit eodem, quo coeperat, oris habitu sonoque supra mortalem) tumulum istum, quem videtis, recentem adite, refodite; corpus heri conditum producite; recognoscite diligenter, utrum exanime sit, necne. Ocyus ad sepulcrum concurritur: effoditur cadaver; detracto, quo involutum erat, linteo jam putrescens conspicitur: ante pedes Francisci deponitur, quò tandem progressurus sit, omnium expectatione summâ. Hic fixis humi genibus, à precatione haud longa surgit; Deique nomine imperat mortuo, vitâ ut recepta consurgat ad faciendam Christianæ doctrinæ fidem. Jussus assurgit continuò, integris viribus, tanquam à somno excitatus, testis omni exceptione major. Quæ res tam nova, tam inaudita non præsentibus modò ad credendum Evangelio adduxit, verùm & omnes Colani incolæ, & plurimos alios, miraculi tanti celebritate efficaci, magnum ac præpotentem Deum Christianorum, certam salubremque Magni Patris doctrinam agnoscentes.

Atq; hinc pateret locus proponendi hæreticis Thaumaturgi Xaverii in credibilitatis, ut vocant, pro Catholica veritate argumentum. Sed quoniam id à multis est jam tractatum, & urgeor temporis angustiis; hoc tantum proferam, quod abunde valeat ad convincendos heterodoxos; Sacerdotem Xaverium fuisse, & Religiosum, ac peculiaris obedientiæ voto obstrictum Romano Pontifici, & Sedis Apostolicæ Nuntium; sacros inter Ecclesiæ ritus & mysteria obeunda miraculis insignitum; veluti inter sacrificandum, cœlestemq; hostiam populo ministrandam, à terrâ elatum, radiis collustratum: & verò ceremoniis Ecclesiasticis usum ad efficienda miracula, salutari signo Crucis, aquâ lustrali,

*d* *Isai.* 7.



Virginis rosario. Tum eandem Virginem invocasse, Michaellem Archangelum, ac Cœlites reliquos, & Angelos & homines beatos: sacra ad aram Deiparæ Malacensem tria faciendi promisso, eam de qua diximus, omnino desperatæ scaphæ salutem reversionemque pepigisse. ac similia permulta, quæ jam partim libavimus, partim in decursu obvia contingemus. Quibus tot tamque claris signis cum ita Christianæ Religionis præstantia sanctitasque emicuerit, ut iis perspectis innumeri ad Christum conversi ethnici fuerint; par est, ut iisdem, certissimo testimoniorum genere compertis, confessisque & collaudatis ab ipsis heterodoxarum partium historicis, illustrata Fides Romana agnoscat ab hæreticis & suscipiatur: qui certè haud negaverint, errori favere principem omnis veritatis Deum non posse; dexteram suam ad confirmandam corroborandamque impietatem non extendere; nec miraculis, quasi augustis potentia autoritatisque supremæ notis dogmata nefaria obsignare.

Ab hac digressionem in argumentum credibilitatis, ex operibus Thaumaturgi Xaverii petitum, redeo ad intermissam narrationem; non ut alios omnes referam, quos Apostolus in ora Piscaria, in Travancoridis regno, in Vaccarum insula, in Japonia, vitæ restituit. Unum addam in hoc genere editum miraculum; & quidem numero dierum, quam illud Colanense, propius excitationi Lazari. Mulier, non ita pridem æternæ salutis fonte intincta, miris operibus florentem Malacæ Apostolum sollicitè quæsierat ad filiam urgente morbo gravissimo levandam. Cum is, pii cujusdam operis causâ, in finitimum urbi locum secessisset, atque interim puella diem obiisset; reducem Franciscum aliquando nacta mater, jam orba, Marthæ instar flebili excipit oratione. *Si fuisses hic, filia mea non fuisset mortua. Sed & nunc scio, quia quæcumque poposceris à Deo, dabit tibi Deus.* Fidem miratus recentis Christianæ Xaverius, oculis in cœlum intentis orat misericordiarum Patrem, Consolatoremque afflictorum Deum, moestam ut parentem respiciat. Deinde lugentem erectamque spe sceminam respiciens, iisdem



ferè verbis, quibus olim supplicem Dominus Regulum dimittit. *Vade, filia tua vivit.* Atenim jacet à triduo humata, subjicit mater. Nihilo feciùs (reponit Thaumaturgus) perge; sepulcrum aperi; vivam reperies. Evolat mulier fiducia prægestiens, populi turbâ ad spectaculum convolante: panditur sepulcrum; puella à triduo sepulta, jam rediviva lucem aspicit, & matri renascitur. Sed jam aliquanto majus prodigium retuli capite superiori de Mahometani filio, Oceani fluctibus absorpto; sextaque post luce in navim reposito, salvo & valente.

Nunc ægros ab Xaverio mirificè persanatos confectari oratione, post suscitationem mortuorum expositam, supervacaneum videri queat; & infinitus sim, curationum illarum coelestium vel species & capita si perensem. Sed quando Christus, operum suorum conficiendâ summâ, quam renuntiari Baptistæ juberet, reviviscentibus mortuis coecos illuminatos, claudos gradientes, leprosos expurgatos, surdos audientes attextuit: ad has ego partes, quibus vim suam Divinus Medicus immensam descripsit, contraheam Xaverianæ medicinæ effectus, per omnia morborum genera pervagatos. Talem tantamque rerum conversionem ab Xaverio perfici Christus voluit; sive quam per se priùs ediderat, per famulum ac ministrum sibi acceptissimum instauravit: ut quod olim in Judæa, tunc passim in vastissimo Indiarum tractu usurparetur; *e Cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt.* Quæ miraculorum ab Xaverio effectorum species, cum aliis compluribus, in Bulla extant Canonizationis, præter auditum surdis restitutum. At hujusce etiam modi recensetur in Actis miraculum. Uti in ventos & maria datum imperium Francisco supra vidimus: ita & potestatem in morbos omnes mortemque ipsam eidem, perinde ac delectis à se primùm *f* Apostolis conferre placuit Domino, & majorum humanorum silvam subjicere Thaumaturgo beneficentiæ materiem.

*e* Matth. 11. Marc 3. Luc. 7.  
*f* Matth. 10. Luc. 9.

Et



Et ille quidem mortalium corporum pestes facile ac nullo negotio, aquæ sacræ aspergine, Crucis informato signo, Evangelii recitatione, prece aliquâ, jussu interdum pellebat. Verùm heroicæ nonnunquam fortitudinis facinore se ipsum vicit, antequam morbum vinceret ac fugaret alienum. Testes quondam ingentis animi Venetiæ, ubi in nosocomio fœdissimis ulceribus ora apprimens, teterrimam saniem exfluxit, vir ambrosiâ coelesti mysticaque alendus. Quo tam egregio facto imbutus ad agrorum, ceteris vel aspectu intolerabilium, amicissimam suavissimamq; contra stationem & curationem, tantæ postea charitatis in India renovatæ primum ex tempore tulit miraculum. Occurrentem sibi mendicum aliâ, quàm rogabatur, stipe donavit.

Erat is perpetuo ulcere coopertus, ac sibi met ipsi, non tantum aliis, gravis & odiosus. At Xaverius oculis, quos acuebat fides, Christum in corpore miserrimo contemplatus, hominem se vocat; purissimisque manibus blandè accurateque purulenta membra abluvit. Aquam subinde, quâ fordes illas horribiles eluerat, magnâ ex parte hausit ut sitiens; clam contuentibus, ac scilicet obstupescantibus Manaparæis incolis duobus; atque adeo victoriam suimet heroicam gratulantibus Angelis, quibus interim, conspectum fugiens hominum, factus erat spectaculum; ac Deo repentinæ perfectæque sanitatis gratiam referente. Naaman Syrus, in fluvio Jordane septies lavans, ex mandato Elisæi, detersâ leprâ restitutus in carnis puerilis teneritatem fuit. Semel Indus lotus, at Xaverii manibus, aquâ mox infectâ saniosâque se ipsum proluentis, abstersis ulceribus enituit. Neque hic unus opem tam extraordinariam, salutemque manibus orique Xaverii debuit. Multos autoritate publicâ locupletibusque testimoniis constat eiusdemmodi officio, novique generis potione ab ipso medente sumptâ, illicò sanatos fuisse; nec effectu magis, quàm actione Thaumaturgum expertos.

Hoc quoque potestatis usu Franciscus excelluit, ut, quemadmodum g delata à Pauli corpore ad agros sudaria



vel *semicinctia* languores dæmonesque abigebant; ita Xaverii cruce, rosario, ipsa thecâ, quovis instrumento pietatis ad infirmos arreptitiosq; misso & admoto, confestim & morbi quilibet abscederent, & tartarei corporum animorumq; tyranni diffugerent. Atque hoc ægrius ferebant superbissimi inferorum principes, quod non ab ipso meto Apostolo, tanquam justo parique hoste pellebantur; sed puerorum ab eo delegatorum ministerio ex possessionibus suis fundisque occupatis ejiciebantur. Mirum visu audituque! sic erant pueri ab Xaverio instituti & confirmati, nihil ut timoris conciperent, præter illius ætatis morem, ex insanâ energumini vociferatione, motuque incondito & furioso. Excitata præsentium fide; recitatis quas didicerant, precibus (quod itidem facere, ad quosvis ægrotos allegati, solebant) hominem ab inferno hospite & tortore vexatum aggrediebantur: crucem osculandam protendebant; detrectanti, averfanti, horrescenti instabant, urgebant: immaniter sese distorquenti sacrum signum obtrudebant; nec desisteabant à piâ & animosâ insectatione; quoad immundum spiritum, cruci venerationem osculo deferre coactum, exigenter; ac corpore quod infederat & agitabat, omnino deturbarent. Unde pueris, sacrâ ab expeditione reversis, sancto exultare gaudio, tamque facili & gloriosâ victoriâ ovantibus, illud usurpare cum Discipulis Christi fas erat; *Domine, etiam demonia subjiciuntur nobis in nomine tuo.* Patris videlicet Magni Sanctique, ut vocitabatur, Xaverii promeritis.

Quid, quod ex illa tenera innocentique catervâ Xaverianâ puerorum, ab Apostolo sanctas inter occupationes quibus distinebatur, sui loco ac vice ad infirmos circummitti solitorum, unus plus potuit, plus effecit, quam Elifæi famulus, ab eo missus ad puerum à mortuis excitandum? Frustra servus puero baculum Prophetæ imposuit: *hæc non erat vox, neque sensus... non surrexit puer.* opus ipso fuit Elifæo. At verò minister Apostoli puer unus in oppido Comorinensis oræ, Punicali, mortuos excitavit duos. Et



ipse cum venit ad defunctum in vitam revocandum Propheta; quàm operosè rem gessit! quàm variis mysticisque modis ad miraculum pervenit! Contrahere habuit sese ad formam pueri (quod & antè fecerat Elias) incubuit jacenti, oculis oculos

*Componens manibusque manus, atque oribus ora.*

Sanè expeditiùs, ut superiora declararunt, tot revocavit defunctos Apostolus. Quòd si mortuum mortuus etiam suscitavit sepulti corporis attactu Elisæus; an non puellam septimestri partu ejectam mortuam Cocini excitavit contactus iconis Xaverianæ, Sanctique Patris invocatio? Ac nudâ simplicique invocatione demortui Xaverii, at meritis & gloriâ potentiâque immortalis, revixit infans Cottatæ in urbe Orientalis Indiæ: nec vivum modò, sed & omnino sanum parentes filium recepère: quod extat in Pontificio Canonizationis diplomate. Cetera jam suprâ indicata prætereò: hujus partis narrationes Actis antiquissimis circumscribo. Denique mortuorum ab Xaverio, tum vivo in terris agente, tum beatâ morte in coelum translato, excitatorum numerum adjunctaque omnia si perpendas; jure admirandus exclamaris: *& quis potest similiter sic gloriari tibi?* Certè in hoc genere (ut alia nunc fileam) *Non est inventus similis illi.*







PARS CAPITIS POSTERIOR.

*Morere in monte... è contra videbis terram,  
& non ingredieris in eam.*

Deuteron. XXII.

**F**uit hæc Mofi poena ob admissam in Cadana solitudi-  
ne culpam irrogata, ut è regione atque in conspectu  
Palæstinæ terræ, Iordanis flumine diremptæ,

*Quam propter tantos potuit perferre labores,*  
obiret, fructu præsentis ac suavissimo peregrinationis tot  
annorum privatus à Deo; in eum quamvis amicum & per-  
familiarem, Prophetamque maximum ac legislatorem, sed  
aliquâ lapsum dissidentiâ, nec satis obsecutum, severè ani-  
madvertente. *Quia prævaricati estis (tu, & Aaron frater  
tuus) contra me... ad Aquas contradictionis... & non sanctifi-  
castis me inter filios Israel.* Atenim Xaverio indicta mors  
est, oblataque in deserto monte Sanciani insulæ ad oram  
Sinarum: & in continentem illam, quam cursu longissimo,  
quam votis omnibus appetierat, tunc sinu duntaxat maris  
disiunctam, negatus introitus; non ultionis Divinæ causâ,  
verùm occultâ Providentiæ ratione. Quippe integerrimus  
hic Propheta, Legis Novæ promulgator fidelissimus,  
Deum Christianos inter ethnicosque sanctificarat, sive  
honoraverat assiduè; molestiâ nullâ, vel adversantium in-  
juriâ, tantulum à recta via certissimaque fiducia dimotus,  
aquis salutaribus gentes Domino barbaras consecravit.

Lustratâ, imbutâque Christianismo Japoniâ, animum ad  
Sinas convertendos intendit, quorum ad sapientiam judi-



ciumque viderat passim ab Japonibus de Christiana fide suscipienda appellatis provocari. Ergo duas unâ operâ gentes Ecclesiæ adjuncturus, imperium aggrediebatur vastissimum, ac prorsus inhospitale; &, quo circumvallatur insanæ longitudinis muro, minùs quàm interdicto atrocissimo obseptum, penitusque advenis clausum. Omnem scrutatus rimam, sua pro salute hominum studia ab humani generis hoste per homines, quâ infidos & timidos, quâ invidos & malevolos, eludi pervertique sensit. Verùm quamdiu sanctis Francisci consiliis & conatibus homines tantùm intercedere visi fuère; amici, preces admovendo, pericula vinculorum acerbissimorumque cruciatuum denuntiando, promissa fallendo; inimici, vim adhibendo ( ut Alvarus Ataïda, præfectus Malacensis ) legationem ad Sinas disturbando: perstitit in proposito Apostolus; quàm molliores in petitiones ac dehortationes & infidelitates, tam adversus durissimas interpositiones incurfusque apertos obfirmatus. Unum ille Deum pertimuit; quod crebrò in epistolis profitetur: mortem ita non exhorruit, non refugit; ut eam, omni suppliciorum diritate instructam, Dei causâ percuperet, terrâ marique captaret. Itaque apud Sinas objecta servitus perpetua, tormentorum immanitas opposita, non remorandi Xaverii, sed incitandi vim obtinuit.

Nullâ ardorem suum difficultate infringi passus, aditumque obsidens in proximam urbem, piâ pertinaciâ consilium perurgebat. Tandem Sinam mercatorem evincit ingenti pretio, à Lusitanis erogato, ut se clam Cantoni invehat, exponatque in portu. Ne quid tamen detrimenti ex suo in terram Sinensem contra leges ingressu capiant Lusitani institores, velut confecti & facti suo implicati; per occasionem à Cantonio Prorege immixtis copiis spoliandi, atque in servitutem redigendi, aut etiam excarnificandi: differt optatissimum iter, quoad hi Sanciano insulâ, commercio absoluto, discesserint.

*Nec ad profectæ mortis audacem viam,*  
ut ait ille, comparare interim sese pius heros desinebat,  
ancipiti proposito discrimine ( ut ipse ad Franc. Peren



scripsit; ) ab illo, quicum pepigerat, mercatore Sinâ, ubi repræsentata merces fuisset, néve in deserta quapiam insula exponeretur, néve in profundum abjiceretur. Et tanta per discrimina quantò gravius ad periculum tendebat, non simplicis, at diuturnæ mortis, inter exquisita tormenta oppetendæ, si portitor fide servatâ peregrinum ad oram Cantoniam pertulisset! Eius quidem periculi affinitate interpres, qui sponte obtulerat sese Apostolo, deterritus ab officio est: mox etiam mercator, quocum transactum fuerat, expectationem viri fefellit. Verùm & ab his Franciscus, & ab hospite desertus, neutiquam se deserit; & quanquam febrim multos afflictus dies, nullis cedit adversis casibus, nulli malorum gravitati succumbit. Jamque regnum Siani respiciebat (ubi legationem ad Sinas in annum proximum apparari famâ acceperat) operam daturus, ut comes legato accederet.

At verò, cujus altissima & humanis sensibus mentibusque inexplorata consilia sunt, Deus qui arcanis Xaverium stimulis ad volendum audendumque impulerat; ipsius expedita accinctaque ad nutum afflatumque suum voluntate, ut quondam Abrahami procinctu ad parendum, contentus, hic demum consistere Apostolum jussit, & incruentâ, sed acerbâ morte defungi. Testatur, qui verè investigabiles Dei vias exclamat Paulus, cum sæpe ad Romanos venire proposuisset, ut aliquem fructum in iis haberet sicut & in ceteris gentibus, adhuc esse prohibitum. Testatur Lucas in Actis Apostolicis, eundem Paulum cum sociis vetitum fuisse à Spiritu Sancto loqui verbum in Asia: cumque tentarent ire in Bithyniam, non permisisse Spiritum Jesu. Ad hunc modum interclusus est Sinarum aditu Xaverius. Necdum fortasse erat matura conversioni gens: aut temporum ac rerum omnium summus dispensator, servo emerito statuere modum voluit; successuris operariis campum suum stadiumque reservare. In immensum excurrentibus Apostoli Indici laboribus metas ponere solus potuit. Neque enim vel suis terra finibus sistere Evangelicos Francisci potuerat cursus: nec alios is reperturus erat laboriosissimæ limites viæ, quam vitæ. Cùm esset ultra Japonas nihil, quò progrediretur;



redire in sua vestigia coactus, quam longius provehere nequit conquisitionem animarum, latius de novo instituerat explicare. Nec apud Sinas steterat: ac regionem tantam si Christianæ Religioni patefacere & subdere irrevocatus potuisset; inde ad Tartaros, ad Persas, ad alias ex aliis gentes transvolans, Evangelium toto circumtulisset orbe. Tum parva haud minori, quam quæssisset, virtute sedulus rueri, nunquam ab opere cessasset, animo per ipsos labores confirmato ac renovato. Pauli exemplo, ut sæpe jam fecerat, revertens invisensque fratres per civitates, in quibus prædicaverat verbum Domini, fata excoluisset, ad uberioremque frugem omni curâ perduxisset.

Sic animo comparatum, & amplissima quæque pro Dei gloria meditantem; pro salute mortalium quidvis & ardui suscipere & asperi perferre alacrem; Sinis imminentem, martyrio inhiantem, admonuit ingravescens morbus, sibi non esse ad Sinas trajiciendum, sed emigrandum ad coelites; consummatoque cursu, recipiendam à justo iudice coronâ. Quapropter rapiente ad se unum omnia studia Deo, cœlum suspiciens Franciscus, æternaque contemplans, eminebat ex corpore. Jamdudum solita pietatis charitatísque officia & privatim, & publicè, ædiculâ ad hos usus in littore excitatâ, constantissimè erga Lusitanos alienigenasque exprompserat; & quamvis affectâ valetudine, aliquandiu corporis infirmitatem virtute animi sustentarât. Denique, factâ re Divinâ, ubi se ipsum cum Christo hostiam sanctam, perque gratam Deo obtulit, febris correptus redit ad navim. Sed Aquilonibus tractum illum vehementissimè perflantibus, assiduam onerariæ jactationem non ferens, in littore deponitur frigidissima tempestate. Quem talem ac tantum virum sic abjectum, omnino collapsis viribus, cum vidisset Georgius Alvares, humanus in primis & misericors, deportandum curavit in suam casam, quâ melior non suppetebat, è stipula ramisque malè contextam in colle propinquo, & ventis omnibus perviam.

Ibi Nuntius ille Apostolicus, ibi Magnus ille Pater cunctâ Indiâ celebratus, in summa egestate decubuit, extrâ acu-



tissimo frigore, intus aestu mortifero conflictatus. A novo rogatus hospite, venam sibi incidi patiat, ejus planè arbitrio se permittit: ac licet chirurgi nautici incitiam expertus gravi suo periculo & malo, convulsis à venâ seciâ nervis, & animi deliquio consecuto; rursus eandem admittit imperitam infelicemque manum, verus Christi perfectusque discipulus, *obediens usque ad mortem*. Hoc unum animo doluit, quòd parcè & utcumque medicando sanguis detractus fuerit, non vi tormentorum à carnificibus exhaustus. Sed habuit, quâ desiderium istud leniret, conscientiam rectè factorum, & perpetui cujusdam per omnem vitam diffusi martyrii. Nempe, ex Urbani diplomate, *incredibilia... propter nomen Domini nostri JESU CHRISTI toleraverat... contractis ob assiduos ac intolerabiles labores gravissimis morbis.*

Et quidem Xaverii morbos si dispiciamus; & singulorum causam in exercitatione virtutis constituisse agnosceremus, & ipsos amplam virtuti exercendæ materiem præbuisse. Ac primùm in leviculæ pœnam vanitatis; quòd aliquando se se corporis agilitate jactasset, suras, coxendices, laceratos funiculis tam arctè constrinxerat, ut rigida isthac vincula corpori infingerentur. neque Lutetiâ proficiscens, cum iter longinquum ingrederetur pedibus, diros nexus relaxarat. Quo factum est, ut superante demum acerbitate doloris concideret in via, nec nisi ope divina extraordinaria sanari posset. Age verò, qui Franciscum morbus Vicietia exercuit, unde ortus, nisi à rerum inopia, victus asperitate; patulo inter parietinas diversorio, & aliis ultro susceptis adscitisque corporis vexationibus? Nec leviam ad morbum accedere pro solatiis incommoda. Hospitium præbuit adjuncta nosocomio ruinosa casa; squallidus lectulus, eique cum ægrotante socio communis Malatamen dulcia, quæ cœlestis diluit consolatio, tantis animis consentanea. Videndum per noctem ægro se Divus obtulit Hieronymus, quem peculiari Xaverius colebat observantiâ: præmonstransque sanctus Doctor, in urbium ad pietatem excolendarum distributione quæ cuique sociorum Francisci esset obventura fors, graviores ipsi labores denuntiavit  
Bononiæ



Bononiæ exantlandos. Prædictis eventa responderunt. Et Xaverius à quartanâ permolestè habitus, usqueadeo tamen luculentam Bononiensibus operam navavit, ut memoriam sui nominis venerationemque apud eos reliquerit sempiternam. Exinde Romam veniens penitens afflictâ valetudine, ægritudinem accenso studio proximos adjuvandi superavit: atque ex verbi divini semente, in Laurentino Ludovicæoque templo factâ, eam percepit frugis Evangelicæ copiam, quæ dulcissimè animum pasceret Apostolicum, & messem ex Indico agro subinde colligendam rite significaret.

Quid, Indicam inter navigationem, cùm Lusitana Mozambici classis hibernaret? Laboranti morbis variis multitudini classiariorum ita Xaverius laboriosè ministravit, animas corporaque procurans, febrim ut periculosissimam contraxerit: cujus astu per triduum jactatus, inter ipsa tamen deliria pietatem sapiebat; nec quidquam, alienatâ mente, à sanctis institutis alienum loquebatur. Vix remissâ ardoris vi libertatem animi receperat, cùm æger ad ægros rediit & verbis & factis humanissimè ac religiosissimè sublevandos. Quibus charitatis pietatisque districtum officii nactus medicus, ipsum ex omnibus unum vehementissimè ægotantem, alienoque egentem ministerio pronunciavit; magnoque est opere cohortatus, ut ad cubile tandem se referens, partem aliquam caperet quietis, certè dum febris importunitas vehementiaque relâdisset. Excusavit instantem necessitatem Pater, veniamque petiit à medico noctis exercendæ ad salutem remigis; quem perditissimis moribus juvenem occuparat phrenesis inexpiatû, summo lethi æternique simul exitii discrimine. Hunc ergo humi jacentem, in suum ipse lectulum deportari benignissimè curavit; statimque sacri contactu cubilis ad se reversum, & peccata detestantem, legitimè absolvit; eademque, ut præsenferat, nocte emorientem, suis quodammodo manibus in beatam immortalitem transtulit: ac tum demum ad quietem, ex medici præscripto, sese composuit. In suas ædes ægotum jam inde ab initio morbi Xaverium invitarant honesti viri: sed is à navali turba secerni, tractari-



que commodiùs recusarat, libentiùs in strato vilissimo, quàm in Serico moriturus. Necdum relictis ille viribus ad consueta munia & obsequia nosocomii recurrit: *quæ adeo libenter atque hilariter exequabatur* ( inquit Pontifex Urbanus ) *ut deliciae ejus, deferre agrotis ac morientibus esse dicerentur.*

Commemorandus hoc loco sequeretur Xaverii morbus ille Japonicus, laborum aliâ specie accersitus per Meacense iter; cujus ærumnas tertio jam capite perstrinximus. Quæ verò iis par esse possit oratio? Etenim cursus propè continuos ob prædonum insidias, vagos ob regionum ignorantiam errores, ex assiduâ sacratæ supellectilis vestigatione defatigationem, omnia ludibriorum & insectationum genera, quæ exhaustit longissimâ istâ profectioe Xaverius, ut conticescam; vias invias, montibus rupibusque horrentes, perpetuos nive hibernâ glacieque obductos concretosque tractus, paludibus torrentibusque intercisos, qui nudis atque ex crebrâ offensione cruentis pedibus calcare ac superare habuerit; sæpe sub dio pernoctans, imbre madidus, fame exesus, quis nisi planè ferreus in morbum non inciderit? Scilicet Francisci non eadem corpori, quæ animo firmitas constabat. *Nec caro*, ut Jobus aiebat, *ænea est.* ac solido mense tot, tam varia graviaque mala perpeffum, denique laborum mole obrui necesse fuit. Quare oneri, vires Giganteas oppressuro, succumbens viator paulisper Sacai hæsit; nec ope ulla medicorum, sed quiete modicâ ad novorum infinitorumque laborum tolerantiam respiravit.

Hæ Xaverio causæ morborum, hæ virtutum exercitationes obtigere. Non hic repetam verbera, quibus preces inter nocturnas cæsus terribilem in modum à dæmonibus, Meliapore per aliquot dies jacuit; non reliquas afflictationes, quibus tota Apostoli fuit vita contexta, & voluntariis & adventitiis. Tamen quid magis voluntarium, quàm quod adamatum, expetitur, conquistum, gratulationibusque celebratum? Eo prorsus animi sensu, quidquid aliunde adventaret duri, Franciscus excepit; omnes sive ab hostibus Tartareis, sive ab hominibus invecas, sibi que illatas pro-



priè molestias, lucro apposuit: ac jure suo id Pauli usurpasset: *cum infirmor, tunc potens sum*. Certè ultra vitam mortalis patuisse dixeris, quæ decennio & aliquot suprâ mensibus in Oriente pertulit. Præmaturam illi canitiem acciverat immanis laborum series: at unum tot incommodis, tot ærumnis suffecisse corpus, instar miraculi ingentis numerari debuit: & quamvis Christianæ reipublicæ peracerba, fera tamen ratione perpeffionum tantarum accidit mors.

Qualem demum in extremo se gessit actu Xaverius! quàm constantem invictamque patientiam præstitit! nulla ei vox inter acerrimos dolores excidit, quâ piorum consiliorum infelicem exitum, quâ solitudinem suam, quâ inhumanitatem quereretur ingratiq; adversus se animi labem eorum, quibus aquæ dulcis penuriâ in navi laborantibus vitam ipse miraculo conservasset. Quin æstuoso, mentemque emovente morbo, inter confusas rerum imagines nunquam à Divinis aberrabat. Expeditionem loquebatur Sinicam; vincula, tormenta, quæ sibi erant cordi, ore agitabat. iteratis quoque aspirationibus JESUM, amorem suum (quod & in somnis fuerat sano familiare) usu magistro invocabat. Videtur sanè à Deo permiffa brevis illa deliratio Xaverii, quò certior appareret, sponte sua ex intimo sinu erumpens, nec deliberatis vocibus, sanctimonia.

Sibi omnino redditus, non modò rationis usum piis, ex more suo, colloquiis cum Sanctissima Trinitate, cum Christo Domino, cum Virgine Deipara exercuit; sed etiam cognitionis Propheticæ donum luctuosâ, nimirumq; verâ prænuntiatione ad ultimum ferme spiritum extendit. Audierat Joannes in Apocalypfi *vocem unius aquilæ volantis per medium cæli, dicentis voce magnâ, vae, vae, vae habitantibus in terra*. Aquila illa, de qua diximus capite secundo, è terris ad summum coelum evolutura, funestum casum præcinit. Xaverius Indum juvenem cum sancto adolescente Sina, Antonio à Sanctâ-Fide cognominato, sibi adstantem pridie obitûs acriter intuens, *miserabili voce ter succlamavit, vae tibi*; prout refert Turfellinus. Quæ triplex



comminatio triplicem illi misero pestem denuntiavit, ut idem subdit autor, *conscientiæ vulnus, corporis cladem, interitum animi*: cum Xaverianæ institutionis immemor, foedè profligatis moribus, aliquantò post glande ictus plumbeâ occubuerit.

Hic verò subit ea, quâ Sapiens Elisæum cohonestat, laudatio: *in vita suâ fecit monstra, & in morte mirabilia operatus est*. Quæ porrò mirabilia? prædictione continentur victoriarum ab Rege Israelitico referendarum. Et vita quidem Xaverii cum redundaverit prodigiis, tum vaticinationibus maximè nobilitata est. Verùm hæ, quanquam personis, locis, temporibus distinctæ, adeo frequentes audiebantur, ut jam movere admirationem desissent (è plurimis insigniores aliquot supra annotavimus.) Haud aliàs tamen crebriores, quàm sub mortem, disertioresve edidit Franciscus vaticinationes: quarum pleræque intra paucos dies eventu comprobatae fuerunt; una longè pertinens eminentisque illustri cum primis successu rata extitit. Petro Vellio, locupleti beneficoque institutori, cœlestè fenus promissum intelligo ac persolutum.

Suas hic opes Francisco in dotem orbe puellæ, periclitantis de pudicitia, permiserat: nummosque ex arcâ, aureorum quinque & quadraginta millibus refertâ, pauciores sumptos (quos etiam suppletos in capsâ divinitus reperit, nullo prorsus desiderato;) sed nummos trecentos duntaxat inde ablatos vir munificus amicè Patri sincerèque exprobrarat; cum stipem roganti, clavim arcæ tradidisset eâ mente, ut divisâ ex æquo summâ dimidium auferret. Tam benigno a misericordique in pauperem, tam liberali sapientique apud Dominum feneratori sponderat Xaverius Dei nomine, casus inter adversos nunquam opem defuturam, atque adeo vitæ novissimum diem certo indicio prænosendum. Partem utramque promissionis suo tempore sanxit effectus. Namque & jacturas graves interdum passus Vellius, amicorum semper opibus fuit recreatus; & multis post annis, cum bellè valeret, ex

a *Fenerator Domino, qui miseretur pauperis.* Prov. 19.



prædicto signo mortem instare didicit. Facultatibus ergo in liberos, atque in egenos distributis, rite ad exitum comparatus, in templum venit: ibique cum se in pheretro composuisset, curato pro se auditoque piaculari sacro, & ultimâ exequiarum precatione adhuc viventi cantatâ, subito quasi somno, placidissima quietissimaque morte solutus est; summâ amicorum, quos ad suum funus convocaverat, populique circumstantis admiratione prophetiæ Xaverianæ, Divinæque remunerationis.

An verò mortis præscius alienæ, suam ipse nescivit? & qui alteri migrationis è vita instruendæ signum tam præsens opportunumque dedit, propter amplam largitionis pecuniariæ voluntatem; ecquid præensionem sibi appropinquantis decessûs promeruit, & Apostolicæ charitatis operibus innumeris, & magnifica voluntate incensoque desiderio Evangelici thesauri, quem tot jam populis laboriosissimè disperferat, in Sinas conferendi, sui que in salutem gentium profundendi sanguinis? Elifæus quidem, cum Sunamitis ex filioli interitu mœstissima ad se venisset, ejus mœstitiæ causam à Deo sibi haud proditam est confessus. *Et Dominus celavit à me, & non indicavit mihi.* Paulus item, Seniores Epheso accersitos Mileti cum alloqueretur; *Ecce alligatus ego spiritu, inquit, vado in Jerusalem, que in ea ventura sint mihi, ignorans.* At Xaverius Goà discessurus, non-uni è familiaribus, inter se nunquam revisuros, affirmavit: itidem Malacâ excedens, nunquam eò se rediturum prænuntiavit. In Sanciano cum amicis aliquot Lusitanis agens, eorum qui adessent, intra annum plerosque secum obituros, verissimè præmonuit. Etiam diem & horam ipsam proximi ad immortalem vitam sui transitus, distinctè ab Xaverio sibi prædictam Aghiarus is, cujus alibi facta mentio est, juratus asseveravit.

Horam itaque supremam sibi advenisse Franciscus intelligens; tum verò collectis animi viribus, inter accensa amore suspiria, suavissimis cum lacrymis oculos in Christi crucifixi, quod manu tenebat, signum intendens, hunc læto ore versum Davidicum edidit (*In te, Domine, speravi; non confundar in æternum:*) simul animam, vividæ spei ju-



stæque fiducia plenissimam, *in osculo Domini* & amantissimo complexu reposuit. O dignum Apostolica vita exitum; & quamvis miserandum in speciem, non comploratione, sed gratulatione prosequendum! ni parum æquo gratoque animo singulare Dei beneficium interpretamur. Si terrena morienti defuere commoda; cœlestia abunde solatia gaudiaque subvenère. Si neglectus ab hominibus & destitutus jacuit; à Deo variis commendatus atq; illustribus miraculis fuit; & ultimam inter navigationem, aquâ marinâ in dulcissimi copiâ laticis conversâ; puero ex undis, post senos dies, vitæ navique, unde exciderat, restituto; & insulâ in Sanciano, mortui alterius excitatione, tigridum exterminatione; (quæ suis locis exposui miracula:) non modò crebrâ perpetuâque vaticinatione, & mortem sub ipsam editâ, ut paulò antè retuli, decoratus, ac mirabiliori prodigiis omnibus tenore sanctitatis.

Hoc fuerat Xaverio in votis, acerbissima quæque ut pateretur: nec magis Evangelii disseminandi, quam effundendi pro Christo sui sanguinis cupiditate in Sinas rapiebatur. Altissimo Providentiæ consilio mors illi violenta cruentaque negata est; sed ærumnosa, multisque necibus Martyrum asperior concessa; Præfecto quoque Malacensi, velut infestissimo tyranno, Patrem optimum per suos adhuc persequente satellites, quibus navim Pererianam, cum Pereriam ipsum Malacæ retineret, plurimis occupat, iisque Xaverio opitulari prohibitis. Qua ex sævitia accidit, ut ea cum navis una ad Sancianum restaret, in confragosâ sterilique ora, & barbara solitudine ad extremas redigeretur Franciscus angustias.

*O sanctissima anima, quam etsi gladius persecutoris non abstulit, palmam tamen martyrii non amisit!* Fas enim quis esse dubitet, corpore excedentem Franciscum eadem laude & acclamatione excipere, quâ Martinum Ecclesia celebrat, gravia, sed citra necem, Religionis causâ passum; *qui totis visceribus diligebat Christum Regem, & non formidabat imperii principatum?* Nec hominum improborum & potentium, vel suo nomine indignorum Christianorum, vel gentilium perditè superstitioni addictorum, nec ipsorum dæmonum



## THAUMATURGUS.

159

terroribus aut labefactata aut retardata, *fortis, ut mors, dilectio* Xaveriana, cum illorum odio & furore passim acerrimè depugnavit, splendidè magnificèque vicit. Præter usitatam assiduamque crucis gestationem, bis in Travancoride, bis in Japonia vulneratus; tot alia, quæ obiter variis locis indicavimus, fortissimè libentissimeque perpeffus, quid amplius expetiit, quàm ut vitâ per omnes cruciatus reddità Christo perlitaret?

At, quemadmodum Eliæ in Sina monte, post turbinem, post commotionem, post ignem sibilus auræ tenuis exhibuit Numinis præsentiam; ita Xaverio in Sanciani monte, in Sinarum ostio, lenissimè adspirans Dominus, post laborum sponte aditorum, præsertim decennio per Indias exacto, vehementiam, post multiplicem ab inimicis exagitationem, post incensos morbi æstus, quietem, securitatem, salutem affert, gloriamque immensam, coelo paratam, ac novis & innumeris per orbem terrarum honoribus explicandam. Tot tantisque à præliis redeuntem victorem Xaverium triumphus excipit curru, ut Eliam, sed mysticè, igneo; incensis videlicet charitate Apostolicâ factis eventum, ac Divinis heroicarum virtutum præmiis beatissimè augustissimeque collucentem.







## CAPUT VII.

Iconum Pari septimo respondens.

*Xaverii Posthuma Gloria*

*Per Indias, maximeque in urbe Goa,*  
Tabul. XIII.

*Per Europam, ac praesertim Neapoli.*  
Tabul. XIV.

## PARS CAPITIS PRIOR.

*Mortuum prophetavit corpus ejus. Eccli. XLVIII.*

*Quicumque glorificaverit me, glorificabo eum.*  
I. Reg. II.

**M**ORS sola fatetur, ut ait graviter Satyricus, *Quantula sint hominum corpuscula.* Specie corruptâ, succiso robore, gloriâ extinctâ, sic ea spoliât, sic pefumdat; ut informia, actionis motusque expertia, quæ prius admirationem creabant spectatoribus, jam sensus mortalium horrore avertant. Vivis intoleranda, vel castissimorum hominum cadavera, altè defodiuntur; humo-  
que



que obruta, quantovis regalium apparatu mausoleorum, extrâ marmore & auro nitentium, superbè contegantur maximorum principum corpora, jacent in suis sordibus, foedissimeque & miserrimè computrescunt. Sed quod Elisæi corpus ingenti excellentique animo domicilium præbuit & ministerium, etiam à morte vim servat mirificam, de quâ jam superiori capite diximus, & immortalem Prophetæ apud Deum gratiam testatur. Integram hoc tamen atque incorruptum perstitisse non accepimus; uti authenticè constat de sancto virgineoque Xaverii corpore. Quæ quidem conservatio & integritas eò mirabilior extitit, quòd vivæ calcis vim & acrimoniam vicerat.

Cùm enim perlata Xaverii mors esset ad navim; factoque concursu, dolori qui piorum animos occuparat, admiratio successisset veneratioque intuentium illam sopiti magis quàm mortui speciem, & cœlestem quandâ ore ad aspectum iucundissimo spirantem gratiam: placuit arcam, in quam sacrum pignus includebatur, calce opplere, ut exesis brevi carnis ossa, barbaro utique solo non deferenda, Malacam redeuntes asportarent. Interea sæviente per hiemem, intractabilique mari, terræ mandatur; Georgii maximè Alvaris operâ, cum Francisci Aghiari, & Antonii Sinæ fidelibus religiosisque in eum, quem vivum eximie coluerant, defunctum officiis. Hi Patris humandi, dum suo ipsum sacerdotali induunt ornatu, vilem detritamque togam, ut pretiosiores omni Serum veste reliquias, ex magna parte dissectam inter se partiuntur. Iisdem præcipuè curantibus, ubi verna tempestivitas navigationis affuit, suum à sepulcro depositum repetitur.

Atenim, qui missus à Præfeto navis erat, inspecturus, ecquid calce confectum corpus, ossa nudata, quæ devehî in Indiam commodè possent; ecce tibi, non modò inconsumptum, sed vivo quàm-simillimum corpus à se repertum hero miranti, vixque fidem habenti, renunciat. Rei tamen adeo inexpectatæ & incredibilis argumentum producit, frustulum carnis femore decisum, ac puro & suavi cruore humectatum. Vulgato nuntio, tantum ad spectaculum repente effusi universi. Corpus à trimestri jam spa-



tio in viva sepultum calce, integrum conspiciunt, & quale primum, recens à morte, fuerat conditum. Obstupescunt scilicet, atque omnia certius cognituri, explorant considerantque propius: undique extersâ calce corpus eductum curiosè atrectant. Tabi prorsus intactum, solidum, succo plenum, & molle tactu comperiunt; nullâ calcis edacitate, labe sepulcri nullâ perstrictum; vestes quoque illasas & nitidas; ac speciosam insuper faciem, beatique animi certam imaginem. Ad hæc, novi ignotiq; generis fragrantia perfunduntur, quæ cunctos Indiarum terrarumque odores longè superet, nec nisi à cœlo manare queat; viro sane illi debita, qui *bonus* ubique *odor Christi* fuisset.

Tum porrò omnes, æqui, iniqui, verè Sanctum, verè Apostolum conclamare; supplices coram se abjicere; manus pedesque summa cum reverentia & pietate, multis cum lacrymis, quâ dolore, quâ gaudio affluentibus, exosculari. Jam, qui Malacensis Præfecti gratiâ malè vivum habuerant, acerbè moestèque suam perfidiam, suam cœcitatē detestari, veniâ à Magno Patre, ab immortalī Thaumaturgo demissè orare; nec ipsi domino suo parcere, quo autore flagitium illud conceperant, aut veris & liberis violentiæ iniquissimæ atrocissimæque maledictis temperare.

Mox eadem, unde extractum fuerat, arca & calce reconditum, ad onerariam corpus sacrum efferunt: & quamvis indignos, felices oblato se præsidio reputant; clementiâ confisi videlicet, ac benignitate nunc perfectissimâ præpotentis Apostoli, dum viveret, injuriis gratias referre amantis, genere ultionis pulcherrimo. Neque irrita cecidit spes. Xaverio terrores illi navigantium cessere, eo potissimum dominati pelago typhones: ac postea sinu isto, qui felices viri cœlestis reliquias subvexisset, diu abstinuere; mitius etiam vicinos tractus vexavere.

Expeditâ igitur lætaque navigatione Malacam venit. Quò præmissâ scaphâ cum esset de Sancti Patris Francisci morte allatum, auditumque appropinquare jam corpus incorruptum, ac terræ pariter marique veneratum: exarsere Malacenses novo animorum motu, & plurima &



maxima in se tanti hospitis cultorisque Apostolici merita recolentes. Atque hoc impensius honores mortuo debitos rependant, quò nuper indignius eadem in urbe tractatus à Governatore, & dictis & factis vel ad infidelium stuporem perbacchante, ab ejusque servis petulantissimis divexatus passim fuerat. Necdum infelix Atàida, miraculi præsentis oblatâ luce, ad mentem rediit: sed quâ insolentiâ nec diras Pontificias, neque Indici Proregis sanctiones de Sinica legatione veritus, Divina simul humanaque jura violarat; tum raptim despectam ex aula sua irridens populi supplicationem, dum Xaverii corpus, in portu solennibus officiis à Clero ceterisque ordinibus exceptum, per vicos multo cum splendore funalium gestaretur, ludo institit perditus. Et Mahometanos ethnicosque impietate superavit: qui ipsi, nonnullo sensu pietatis in spectatissimum sanctitate & miraculis Patrem, pompæ sese admiscebant. Verùm magno stetit illi contumacia; quod alibi jam notavimus: ut contrâ salutaris evenit sua civitati religio.

Divinam ultionem Franciscus Malacæ, inde postremùm solvens, urbi flagitiis contaminatissimæ, ac tum capitali sacrilegio obstrictæ denuntiarat; calceorum etiam pulvere in eam excusso: prout à Christo mandatum Apostolis in Evangelio, & nominatim à Paulo & Barnaba in Actis legitur Apostolicis observatum. Graves justasque minas teterrima cum fame lues consecuta pæne oppidum exhausserat. Sed acceptâ veluti satisfactione Apostolus, pristinæ suæ in Malacenses charitatis memor, quas intentarat pœnas, ita compressit ac sustulit: ut, ex quò fuit urbi illatum honorificè corpus mirificum, nec quenquam eorum, qui erant adhuc intacti, pestis affecerit; nec eorum, quos contigerat, quenquam confecerit. Præterea ex appulsu frequenti navium annonâ affluente, salus ac felicitas, dudum Xaverii discessu ablata, cum Xaverio Malacam reductæ postliminio videbantur.

Nec tamen, quo par erat, cultu pignus augustum Dnstanter profecuti sunt Malacenses. Delatum corpus ad eiparâ Virginis ædem Montanam, Societati J<sup>esu</sup> attributa



tam, & conservatam ( licet Patrum nemo in urbe superesset, cunctis ab Xaverio ipso propter Ataidæ nefariam grassationem jussis decedere: ) eademque in æde, pro januâ sacrarii, conditum Lusitanico ritu, nullo arcæ munimento. Quanquam non defuit admiratio spectantium corpus illud, cui mensis jam quartus in sarcophago, media in calce jacenti claudebatur, integerrimum, notamque formæ dignitatem retinens; unde etiam cœlestis halabat odoris suavitas. Accessit novum in sepultura miraculum. Corpus enim cum fossæ angustia non facile caperet, inflexum compressumque, nonnihil laceratâ ad humerum carne, sanguinem fudit; sed qualis vivo corpore manasset, sincerum ac purpureum, & verò jucundissimè fragrantem. Vertit in honorem injuria: neque dubio Providentiæ superæ consilio permissum est, minus quàm decuit, reverenter humari sacras mentis beatissimæ exuvias, quò testatior clariorque existeret sancti corporis integritas; quod ut antea vivæ calcis acrimonia illæsum, sic terræ situ nulla ex parte fuisset tabefactum.

Patuit id primùm piâ curiositate Joannis Beiræ, Sacerdotis è Societate: qui Goâ Molucas ad insulas cum sociis duobus Evangelii causâ missus, ex itinere Malacam adiit: diversorioque usus ædi, in qua conditus erat Xaverius, proximo: ut divini studio viri maximo tenebatur, omnino statuit, quod erat famâ celebratum, visu comprobare. Ergo tacita nocte subit in templum, adhibito cum paucis aliis delectis Jacobo Pereria, carissimo fidelissimoque Xaverii amico. Eruitur corpus humo, ubi quinque ipsos menses jacuerat, nec ullo inde contracto vitio, ne odoris quidem corruptâ suavitate. Lævo tantùm lateri impressum vulnus ex offensione lapidis, cum ingesta calcataque terra permisti. At id ipsum reliquiis & speciem & admirabilitatem addiderat, quòd plaga sanguine fluxerat purissimo. Quemadmodum & sudarium, quo erat velata facies, tanquam recenti cruore purpuratum, animos primo aspectu defixerat. Ceterùm vestimenta omnia, extima intimaque, perinde ac si loco maximè idoneo composita extructaque fuissent, incredibiliter munda splendidaque cernebantur.



Quare cunctis, qui aderant, visum nefas est, terrâ deinceps premi corpus, quod tam insigni Deus miraculo & honestaret ipse, & colendum mortalibus ostenderet. Nec cunctatus Pereria, qui suis antè sumptibus festum funus eidem venerando corpori, cum primùm fuit Malacam advectum, curaverat; ultro suscepit hanc speciosi officii partem, amicissimo quondam viro, tum patrono certissimo deferendi. Capsam è pretioso ligno celeriter instrui iussam, eamque auro textili convestitam suppeditat: in qua repositum corpus, asservatumque in domesticis penetralibus fuit, donec opportuna Goam navigatione transferretur. Quo temporis intervallo illud quoque mirum contigit, ut accensus coràm cereus, qui vix horas decem ardendo explere poterat, duodeviginti ipsos dies perpetuò deflagraret; ac cera, quam subjecta pelvis excepit, gravior priore integri cerei pondere mox reperiretur.

Interim, novis ad expeditionem Apostolicam è Xaverii conspectu & contrectatione ductis animis, Beira Molucum perrexit; altero è sociis, Emmanuele Tavorâ, Malacæ relicto ad custodiam sacri pignoris, multiplici perennique miraculo conservati. Sub idem tempus, percommode ac Divino sanè ductu advenit, è Japonia rei Christianæ causa in ultimam delegatus Indiam, Petrus Alcaceva; qui conjunctis cum Tavora curis thesaurum illum, opibus Orientis universis luculentiorum, transportavit, nec sine crebris in itinere miraculis. Una tum Malacæ navis fuit, quæ Goam navigaret; sed ita fragilis, ut suas illi merces credere institorum auderet nemo. At ubi eâ Xaverii corpus vectum iri cognitum est, sua eidem capita securi latique vectores commiserunt.

Et verò præsentissimam opem tulit onerariæ felix sarcina: nec frustra conceptam sui præsidii fiduciam passus est Xaverius, frustrave suis impensos reliquos honores; cum Lopius Noronia ad eas excipiendas navim suam ornasset vexillis, tormenta ipsa bellica serico obtexisset; cubiculum apparasset, peristromatis excultum, cereis collucens, ubi collocatum religiosè corpus haberetur. His, inquam,



honoribus præclaram in via retulit gratiam Xaverius: ac primùm, cum vadis illisa pertinaciter adeo carina hæret, nullâ ut arte & operâ posset à nautis eximi, vel moveri. adfuit in tempore subsidium, oborto, quem cœli præsens temperatio abnuebat, vento vehementissimo; qui onerariam adversus impellens, retrò per eundem, quem illa syrti inararat altissimeque impresserat, fulcum egit emisitque in apertum mare. Atque hoc ne quis fortuitum interpretaretur; simul ac discrimini erepta navis cursum tenuit, procella concidit.

Jam ultro faventem, suppetiasque ferentem experti Apostolum, in tumultuosiori imploratum periculo Tutelarem sensere. Ad Ceilani fauces navis tantâ vi incurrit offenditque in cœcos exitialesque scopulos; ut mirum fuerit vetustam onerariam, suâque sponte ruinosam, ipso impetu non dissultasse. Excusso quidem gubernaculo infixâ penitus saxis, nauticum omne ministerium irritò labore fatigavit, atque in desperationem conjecit. Trepidè arreptis securibus incassum malo succiso, jacturam facere moliebantur. Verùm assiduâ quasi arietatione undarum verberata undique navis, nec levâri poterat oneribus, nec ullo modo evelli cautibus, nec contra assultus fluctuum continuos defendi. Unum afflictis perditisq; restat perfugium, Xaverii corpus: quod in foros elatum circumfusi venerantur accensis facibus, multoque cum fletu invocant; supplices ut suos pro solenni benignitate Divus respiciat, neu tot clientes hospitesque absumi unâ cum suo ipsius corpore sanctissimo, totque ac tantis miraculis inclyto sinat. Non hæ tanquam surdo cadaveri fusæ preces lacrymæque: audita vota faustus declaravit exitus. Subter carinam illico sonitus, velut ab immani fragosæque labe, violentus redditur: ex quo nautæ vectoresque, attoniti juxta gavisique, diffractum intellexerunt, cui inhæserant, scopulum, ac medium inter discissas partes aperuisse tramicem & alveum. Jamq; navis in altum evaserat; & obsecundante vento Cocinum incolumis est delata: ubi lætissimo concursu & cultu civitatis acceptum institutoris parentisq; optimi corpus.



Inde cùm Baticalam ventum esset; primaria ejus oppidi femina, Antonii Roderici conjux, quæ jampridem ex gravî decumbebat morbo, magnâ contentione impetravit à suis, ut in conspectum sacri corporis deferretur; & ipso, quam speraverat salutem, visu recepit. Quin etiam cùm ex limbo Xaverianæ vestis defectam particulam obtinuisset, eâ in thecam argenteam inclusâ febres postmodum & à viro & à filio depulit; aliosque multos periculosè laborantes, ac medicis insanabiles persanavit. Ita salutaris ægrotantibus Baticalæ extitit appulsus navis & mora, quæ nautis incommoda molestaque accidit, ventis reflantibus non sine Divini mente Numinis.

Navarchus, tarditatis impatiens, Proregi ac Patribus nuntium ipse gratissimum advecti propè corporis afferre cursim actuariolo festinavit. Præerat tunc D. Pauli collegio atque universæ provinciæ Societatis Jesu Indicæ Melchior Nunnius, ab ipsomet Xaverio ante suum in Sinas discessum, Gaspari Barzæo si quid humanitus accidisset, obsignatis rite literis subrogatus. Is ab Alphonso Noronia Prorege, in Sancti Patris memoriam egregiè animato, biremim accipit instructam ad optatissimum corpus celerimè Goam pervehendum. At navarchus, qui suæ incolumitatem onerariæ imposito corpori se debere & agnoscebat & profitebatur; hanc veluti sacram ancoram sibi auferri ægerrimè ferens, deprecabatur enixè spoliationem ejusmodi; atque obtestabatur, ut iter, cujus propè jam terminum tangebatur, cœlesti pignore securum conficere omnino liceret. Nec vanus jacturæ suæ augur probatus est. Cum enim vicisset intuendi quamprimum Xaverii aviditas; simul ac navis fulgentibus vexillis, aliisq; ornamentis decorata, inter festam tormentorum explosionem suorum, aliarumque navium, eodè fortè appulsarum, corpus sibi creditum reddidit, exoneratis quoque mercibus; in ipso portu, & silente quietoque mari, sponte defedit: ut constaret, quâ tandem ope, inutilis prius ac ferè dehiscens, brevia scopulosq; superasset.

Jam verò Melchior, qui cum sociis aliquot Goâ secum adductis corpus integrum ac spiranti non absimile, summa



cum admiratione piisque mista lacrymis lætitia, antequam in biremim transferretur, aliquandiu conspexerat; ejusdem libera per otium contemplatione oculos animumque fatiavit. Nam celoce provectus Rebendam, mille & quingentos passus Goâ distantem, hinc substitit, dum pompa, nequaquam lugubris, in urbe regiâ ad excipiendum postero die Xaverium comparatur. Depositus in Virginis Matris ædiculâ sancti custos pignoris locus: quem solus nocte intempestâ Melchior cupidè venerabundeque aperiens, corpus attentè collustrat contrectatque suavissimè. Illum oris habitum ac nitorem, illam totius corporis integritatem ac speciem, *umbram futurorum bonorum*, aut planè *ipsam imaginem* speculatur beatitatis. Vestes etiam contuetur à membris exanimis ita non corruptas, ut custoditæ potiùs, & ab officina recentes, vel in arcâ domestica, non ferali, nedum in calce humique, habitæ videantur. Japonicam profectionem toto pectore Nunnius jamdudum cogitabat. acrioribus hinc studiis accensus, lineum amiculum ceteris Francisci vestimentis obductum detrahit; quemadmodum olim palmeam sibi tunicam Pauli eremitæ magnus Antonius vindicarat, & ad solennes dies adhibendam reservarat; ut annotavit Maffei, ex eoque Turfellinus & Orlandinus. Hoc adeo amiculum vir egregius secum in Japoniam tulit, quo & ornamento religiosissimas inter gratulationes gauderet, & Apostoli monumento animos excitaret suos, & Divini humanique favoris veluti illicio Regum populorumq; corda conciliaret. Nec Xaverii veste magis, quàm virtute indutus, homo verè Apostolicus, expeditione susceptâ mox præclaram in Japonia operam posuit.

Educta postridie Goâ ad Rebendarium Divæ MARIÆ facellum pompa multiplex. at ego cùm funus triumphale jam carmine expresserim, novis hinc pingendum coloribus haud retractabo. Non dicam, quàm crebri myoparones, ad justæ classis modum; quàm ornati vexillis, facibus ac symphoniis, Lusitanicæ Indicæq; nobilitatis lectissimo vehente flore, obviam processerint: ut navigium illud ornatissimum, quo navigio extabat admirandi venerandiq;  
corporis



corporis arca velo aureo circumfluens, pio lætoque carmine circumsonantes medium splendido comitatu Goant perduxerint. Non repetam quanta omnium ordinum ad occursum celebritas; quàm effusa summorum infimorumque studia, totâ in portum locaque ad spectandum opportuna effervescente civitate; cunctâ Indiâ ad dulcissimum Patris communis aspectum cultumque convolante, ut funalium innumerabili copiâ undæ oræque maris longè ac latè coluceant: ut templorum undique turribus festo æris sono concrepantibus; in littore, in urbe, acclamationibus & cantibus, lacrymis & votis, submissis genibus atque adeo stratis humi corporibus, receptum ab univèrsa multitudine corpus; sacro præeunte agmine, subsequente cum Magistratibus Prorege, inter confertam infinitamque turbam per vicos aulæis intentos, sparsos floribus, odoribus incensos, clarissimo ferculo invehatur. Singulas honoris gaudiique publici partes non edisseram: hoc dicam, nullum aliquando Cæsareum post victorias Romam ingressum, aut imperatoris gloriæ spectaculum fuisse verâ æstimatione componendum cum hoc Xaverii magnificentissimo funere, seu triumpho pulcherrimo; quo Apostoli corpus, tot meritis consecratum, tot insignium donis cœlestibus, inter frequentia terrâ marique miracula, inter gestientes populorum concursus, à Sinarum finibus ad extremas Indias fuit deportatum, atque in ipsâ Orientis regiâ susceptum amplissimo ac verè triumphali apparatu.

Non panegyrica oratio, qualis ad illustrium virorum exequias haberi solet, à concionatore elaborata Xaverium cohonestavit: sed hominis, humano propè fastigio superioris, immortalibus elogiis omnia personabant. Qui tot gentium Magister, in gloriâ Divinæ præconio sese vivus innumeris linguis exercuerat; tunc Orientalium nationum simul omnium (ex quibus advenæ plurimi semper Goæ in emporio celeberrimo versantur) linguis diversis, at idem sonantibus, & quodam, ut in re Apostolica Magnus eloquitur Leo, *humanarum vocum exultante concentu* gloriosissimè fuit collaudatus. Alii virtutes Francisci heroicæ, alii prædictiones assiduas eventu confirmatas, alii miracula omnis generis passim edita prædicabant.



Hi labores Apostolicos, terrâ marîq; obitos; difficillima & gesta & tolerata; Comorinum, Travancoridem, Mauricas, Molucas, Japonias insulas, regna sexcenta ad Christianam vocata fidem commemorabant. Illi crebras ardentisque ad populum conciones; vel puerorum & servorum, vel nautarum & militum institutiones quotidianas; neque ex colloquiis familiaribus & officioso convictu, quàm ex publicis adhortationibus & cœlestium minarum terrore fructum tenuiorem collectum. Jam perpetua referebant ministeria, custodiis, xenodochiis, &, quorum nec confectus ferri vulgò posset, leproforum atque ulcerosorum nosocomiis exhibita; animæque partam sanitatem agris, vincis germanam à scelerum nexu libertatem. Jam nec diurnâ contentam exercitatione piam sollicitudinem; & noctu magnis vocibus per urbium compita, vel probos cives, vel flagitiis indormientes excitantem ad animas, seu letalis noxæ conscias, seu piacularibus cruciatis flammis, precibus adjuvandas; & cujusque conscientiam hujusmodi admonitione conventam, ad suimet gerendam curam sedulò accendentem. Nunc erectam acremque pro Neophytis, & inopibus quibusque oppressis, adversus potentium injurias constantiam; nunc honoris humani fugam, suppressos titulos, & ad plebeiorum pedes sacerdotum abjectam Nuntii Apostolici dignitatem; ac dissimulandis, aut aliorum fidei adscribendis miraculis spectatissimam animi demissionem, ipsis miraculis admirabiliorem extollebant. Tum eximium paupertatis amorem, tum singularem abstinentiam, tum longissimas precandi inexplebili studio vigiliis, tum asperas cruentasque flagellationes, ceteraque Xaverii instituta, sive publica, sive furtim observata, inter navigandum præsertim deprehensa, recensabant. Virum denique divinum, omni virtutum genere eminentissimum, sed charitate potissimum, descriptis à Paulo numeris omnibus planè absolutâ; Prophetam, Apostolum, Thaumaturgum, ad Indiarum salutem genitum, in salutis publicæ insatiabili procuratione consumptum, passim ac promiscuè inter se laudatrix turba, multo cum pietatis sensu desiderioque, appellabat.



Et aderant Xaverianarum vaticinationum testes, qui & animi sui ab illo detecta arcana; & , quæ sibi omnino remotis arbitris contigerant, procul ab eodem perspecta; & quæ postea accidissent, cuncta prænuntiata narrarent. Aderant miraculorum (quæ nos multa, sed editis longè pauciora percurrimus) non auditores modò, nec solum spectatores; verum & qui Sancti Patris in sese admirabiliter beneficam vim expertam testificarentur palàm: in iisque nominatim Deirus ille, de quo jam supra, comes olim magni Patris, tunc ex ipsius prædictione Franciscus. Sed quid ego præteritorum allata prodigiorum testimonia loquor, cum ista, quæ Xaverius urbi importatus est, pompa crebris fuerit illustrata miraculis? Et aura quidem beati corporis dulcissima, nec quidquam terreni spirans, ac longè in omnem partem diffusa, & sensus oblectatione & animos pietate commovebat. Ægros quoque neglecto medentium imperio ad Trajani conspectum, quasi ad salutem sanitatemque prorepisse, dictum assentatoriè à Plinio consule; à nobis de Xaverio candidè verèque usurpetur. Non hïc hominum inanis projectaque curiositas; at prudentissima valetudinis cura, fiduciaque justissima. Sospitalis extitit ægrotis conspectus afflatusq; Xaverii; illis etiã, quos morbi gravitas ita penitus lecto affixerat, ut nec produci in apertum, neque ad fenestras admoveri, aut omnino moveri loco possent, ipsa invocatio salutaris: uti Joannæ Pereriæ, quæ trimestri ægitudine confecta, suppliciter appellato Xaverio confestim recreata est: uti puellæ, quam accenso jam lustrali cereo, in extremum adductam discrimen, simul ac mater Sancto Patri commendavit, ex mortis faucibus planè sanam revocavit.

Templum à pompa illa palmaria Christus Hierosolymitanum ingressus, cæcos & claudos ibi sanavit. ovatione splendidissima, aut triumpho potiùs, ut demonstravi, celeberrimo in ædem Collegii Goani invectus, cæcos, mancos, elephantiacos, aliisque morbis conflictatos in integrum restituit Christi beneficio meritoque suo Xaverius: cui & hoc aptare licet; *virtus de illo exibat, & sanabat omnes.* Atenim clarissimum ipse miraculum integro corpore



oculos animosque omnium rapiebat. Instratum auro phetrum seponi Melchior jusserat ad aram principem, turbæ objectis cancellis, ne sanctas populus reliquias frustatim diriperet. Ecclesiæ Goanæ, tunc orbæ Antistite, proceres operati sacro, haud funebri, sed augusta de Cruce, quâ solâ gloriatus cum Paulo Xaverius fuerat ( Et sexta agebatur feria hebdomadis à Passione; quo tempore squallorem induci templis mos est: sed extare in hoc Xaverii funere funesti nihil debuit: ædes omnis festo cultu enitebat.) Sacro magnificè rituque solenni peracto, arca demum, id quod piæ supplicantium vehementiæ denegari ultra nequit, resignatur: ac sibimet superstes, eodem quo vixerat colore & habitu Xaverius, coram exhibetur.

Hic verò tantus exitit motus animorum, tantus ardor aspiciendi cominus, ut procurso effracta dejectaque repagula fuerint; nec nisi operto raptim loculo arceri concitata vis potuerit. Tandem reprimente ac sustinente impetum multitudinē, ne sibi ipsa visionem expetitam nimia videndi cupiditate adimat, restitutis cancellis, ter in pedes corpus erectum fuit, adstantibusque monstratum. At eo conspectu sedata magis, quàm expleta aviditas presentium; & acrius incensa eorum, qui subinde tam illustre ostentum à spectatoribus audierunt. Sparsis continuò per urbem totam sermonibus hominum, ex visu optatissimo admirationem lætitiāque suam jactantium, facta ex omni parte concursatio talis est; ut necesse fuerit pignus illud cœleste, intra altaris primarii septa, relinqui triduo amplius publicæ & admirationi expositum & venerationi. Turbæ ad hujuscemodi spectaculum undique confluentis perenni quodam æstu completum dies noctesque templum; cum omnis ætas, omnis ordo & natio viseret, iterumque ac sæpius revisendo celebraret, quod à sextodecimo jam mense corpus animā vacuum sanctitas animare videbatur.

Ac ne quis foret dubitationi locus, ab Proregis archiatro pertentatum est; qui nec ullo conditum balsamo, & solidis visceribus incorruptissimum perspexit, ac luculento rem testimonio juratus confirmavit. Quarto etiam post



anno recognitum ab Ambrosio Ribera, Inquisitoris munus exercente, Vicarioque eodem Generali Præfulis Goani, Sede vacante; omnino sibi constare, & solidâ mollique carne, succo & colore nativo prorsus vigere compertum est; animi sanctissimi, cujus quasi vas honestissimum & accommodatissimum instrumentum extiterat, immortalis virtute imbutum penitusque consecratum. Rursus igitur publicis tabulis rite confectis, & civili & Ecclesiastica autoritate miraculum firmissimè communitur, ac splendidissimè commendatur. Quibus, aliisque temporibus, & occasionebus variis corpus inspectum, & postulante enixiùs populo nonnunquam productum, sanguine manavit recenti ac vivido; jam manu immisâ vulneri per sepulturam Malacensem ad latus inflictò, jam cervicem comprimente loculi brevitate, jam pedem inconsultæ pietatis affectu sauciente: cùm ceteris pedes Apostoli nudos, & insigni candore, tanquam in præmium Evangelici discursûs, ex Isaiæ Paulique dicto speciosos, per oscula applicataque rosaria devenerantibus, mulier (ut ipsâ Canonizationis Bullâ refertur) osculantis specie, digitum morfu appetens, in lipsanoteca habendam particulam abstulisset. Nec solum ejusmodi indicio, sed toto adspectabilis vultu Xaverius formam viventis prætulit; ut hominum clamores admiratione excitarit, & aliquam de vera morte dubitationem subjecerit nonnemini.

Quid? quæ pars integritati spectatissimæ decessit, brachium dextrum Romæ expetitur, nec sine templi tremore aliisque portentis Goæ abscissum, nonne se ipsam suosque vectores mirificè conservavit? Onerariæ, quâ sanctum brachium in Europam vehebatur, ad resistendum imbelli, tardæ ad effugiendum, imminebat navis egregiè armata Batavorum. Jamque imperiosæ ac minaces hostium voces audiebantur: cùm Sebastianus Gonzales, Romanæ Societati gazam ex India cœlestem deferens, epibatis circum in genua abjectis, unicū solatium desperatis & auxilium effert ad oram navigii, brachium quod prodigia tanta ediderat. Xaverii nomine piratas vetat propiùs se inferre. Nec in auras verba abièrè. Proximè ingruentes piratæ, prohibiti



confestim arcanâ vi consistunt; ejus videlicet potestate, quâ ferocem unus olim stiterat Badagarum exercitum. Stupent suam vento inflatis secundissimo velis immotam navim, inscii quantum habeant objectum adversarium. in quos sanè illa cadat terribilis imprecatio: *Irruat super eos formido & pavor in magnitudine brachii tui. Fiant immobiles quasi lapis, donec pertranseat populus tuus, Domine; donec pertranseat populus tuus, quem possedisti.* Pertransiit enimvero cum pia Lufitanorum manu ratis innoxia, & Olyssiponem prospero cursu attigit, oneris sui gratiâ, & cujus brachium gerebat, divini liberatoris præsidio.

Sedenim ut ad ipsum corpus Goam revertamur; quàm crebris, quàm claris in omni genere miraculis effloruit Xaverii sepulcrum verè gloriosum! Non tantùm cruor sanus & fragrans manavit identidem ex Apostoli corpore; sed quæ vivo inhæserat, à mortuo jugis profluxit gratia sanitarum. Neque corporis modò tactus, sed quidquid Xaveriano tactu imbutum fuisset, admirabilem inde efficaciam contraxerat. Ea vis est magnetis, ut cum ipse occultâ quadam illecebrâ ferrum attrahat, tum quidlibet ex magnetis affricu eandem potentiam in metallum durissimum exercent. Francisci virtus salutem bonaque alliciebat omnia, malis simul omnibus refutatis; ac rebus etiam vilissimis eam dotem affundebat, ut quidvis ab illo tractatum, adversus humanos casus omnes instar alexipharmaci obtineret. Scissarum minutatim, ut innumerorum cupiditati satisficeret, vestium fragmenta; litterarum Apostolicarum chirographa; libelli ab eodem seu propria manu scripti, seu publica privatave lectione triti; flagellum, quo pie sævire in seipsum assueverat; cuncta denique ad illius usum adhibita (quid enim thecam reliquiarum, quid rosaria Virginea commemorem?) cuncta ab illo usurpata, jam sacra erant, jam salutaria, malisque omnibus expellendis mirè opportuna. Sancianam quidem terram, quâ tectus aliquandiu fuerat Xaverius, cum integro spoliaretur corpore, vim eximiam retinuisse multi, circa insulam navigantes, sensere; qui morbo periculossimo inde remedium petierunt, humoque ex sepulcro aspersâ capiti suo extemplò



convulnerunt. Indidem alii vectores, cum locum, ubi vitam ediderat Apostolus, supplicatione celebrassent, pulverem abstulere, quem amicis dividerent; tumulum cadavere inānem, virtute non vacuum venerati.

Quot salutis humanæ trophæa, Xaverii manu in devictæ idololatriæ ruinis constituta, Cruces terris & undis conspiciendæ, votivis donis onerabantur ab ipsis ethnicis mahometanisque, non solum à Christianis! Ad eas pluvia, ut alibi jam exposui; ad eas omne beneficii genus haud irritis precibus exposcebatur. Quas inter Cruces ab Apostolo defixas insignis maximè vistor Cottatæ, in oppido ad Cori promontorium sito. Ibi ædes nomine Xaverii sacra, non sumptuosa illa quidem, at miraculis longè celeberrima: ubi (cetera ut taceam) & Xaverianæ imagini prælucentis lampadis oleo sese inungens leprosus foedissimam labem absterfit; & aqua lampadi, variisque ad experimentum lychnis infusa, olei vice flagravit; miraculo exploratissimo peregrinationes etiam gentilium ad Cottatensem, ut vocabant, Sanctum conciente. Ultra modum excurreret, nec finem inveniret oratio, si prodigia ab Xaverianis iconibus ac numismatis, vel nudâ invocatione felicissimi nominis edita persequeretur; cæcis restitutos oculos, jam penitus effossos; mutis vocem concessam, surdis audiendi facultatem, gradiendi claudis; motum ac vigorem paralyticis redditum; soluta vincula, purgata carcinomata; & alia quævis ulcera morborumque genera confanata; quin & mortuis persæpe vitam revocatam: ac tributis viritim muneribus addita, quæ crebrò in multitudinem beneficia contulit; averfa naufragia, incendia extincta; sterilitatem, famem, pestilentiam grassatione prohibitas. Ut abunde sibi per Xaverium Indi præstitum gratulari queant ac debeant, quod junior Tobias de Angelo comite & duce potentissimo ac benignissimo prædicabat: *bonis omnibus per eum repleti sumus. Quid illi ad hæc poterimus dignum dare?*

Honores certè, quàm potuere maximos, ita de se merito Indiæ retulerunt: Apostoli sui nomen & memoriam, ac monumenta omnia per Orientem publicè privatimque



nobiles ac plebei, indigenæ externique coluerunt: Jam variis locis ad Xaverii gloriam quid actum sit, Goæ in primis, equidem indicavi magis quam explicavi. Atque iis, quæ de Sanciano, ipsius obitu cenotaphioque consecratâ insulâ notavi, adjungendum specimen hoc venerationis, quòd hanc oram prætervehentes bombardis explosis demissisque velis salutabant. Quas is cunque iniisset domos, quamlibet humiles ac senio confectas ut alienarent, haud ullo à dominis pretio impetrabatur. Viri tanti relegentur ac pænè adorabantur vestigia. Monstrabatur in Japonia à Saxumanis saxum, quod Xaverio ad populû concionanti suggestum aliquando præbuerat. Amangucii, cùm sæpe excisa bello urbs fuisset, perstitit vetus hospitium Xaverii, nunquam armato furore violatum. Et mirabantur Japones non modò Thaumaturgi potentiam, sed peritiam sapientiamq; doctoris unici; qui non singulas singulis quæstiones responsis enodare laborasset, verû unâ còplures longeq; diversas percunctationû difficultates responsione expedire calluisset. Quâ illi rebantur artem, nulli deinceps cognitam, quæ Divinæ fuerat lucis mirifica effusio. Sed à veris æstimatoribus, à Christianis munerum intelligentibus Divinorum, & natura & arte superius aliquid in novo gentium Doctore agnitum est; charisma singulare, ac linguarum dono superadditum: quo Xaverium dono Apostolico excelluisse jam Cardinalitia Relatio & Bulla Pontificia sæpiùs appellatæ declararunt.

Rex ille Bungenis, qui Xaverium quondam amicissimè acceperat, amplissimisque viventem affecerat honoribus; quantis eum studiis, quam honorificis est mortuum prosecutus! Cœlestis doctrinæ ex Apostolo auditæ memoriâ subeunte; & salubribus monitis ab eodem, sub discessum maximè, acceptis, quasi actis salutis radicibus, tandem ad Christum conversus, Francisci nomen carissimi Patris assumpsit: missaque terris ab extremis Romam splendidâ legatione, simul obedientiam Pontifici debitam exhibuit, simul honores Apostolo meritos consecrationis legitimæ postulavit. Quòd si *corona seu gloria senum, filii filiorum*, ex dicto Sapientis; quæ, Deus immortalis, gloria in Xaverium



rium confluit ac redundavit ex uberrimo felicissimoque Japoniæ proventu; ex fidei invictissimæ, ceterarumque arduarum virtutum documentis; atque innumeris, & prisca Ecclesiæ tempora æquantibus martyriis utriusque sexus, omnis ætatis & ordinis! Illud autem, quod supra memora- vimus, Japonici Regis Francisci postulatam, commune votum extitit Indiarum. idem Antistites cum Clero univer- so, idem Proceres ac populi cum Lusitano Rege expetie- runt, pietate unanimi Sanctæ Sedi instantes, ut sacros novi Orbis Apostolo cultus auctoritate suprema decerneret, quos illi jam non Christiani modò, sed etiam infideles ul- tro deferebant. Hi quoque ad Xaverii sepulcrum peregrin- abantur undique ingenti numero, corporis celebratissi- mam in morte immortalitatem visuri, & publicis calami- tatibus privatisque malis opem accituri. Quà porrò venera- tione accederent, testes legati fuerint magni Mogoris, cujus imperium Thaumaturgi fama impleverat. Goam ad Proregem cum venissent, eundem Magni Patris conditorio habuerunt honorem, quem Moses rubo ardenti & incon- sumpto, Dei solio & oraculo; quem Josue loco sancto, in quo *Princeps exercitus Domini* Angelus insistebat, olim exhi- buerant. positis calceis templum, ubi sacrum corpus asser- vabatur, intrarunt: frequenti corporum inclinatione sup- plices tumulum religiosissimum adierunt.

At vivo Xaverio cù homines ita venerabundi acciderent; non tantùm, ut Petrus Cornelio centurioni ad pedes suos procidenti & adoranti; *surge, & ego ipse homo sum*; aiebat: sed hominem se peccatis obstitum, ac mortalium nequis- simum profitebatur. Neque coram Episcopo Goano solum, ac Præpositis quibusque Ecclesiasticis humillimè procumbe- bat; verùm & publicè aliquando veniam de genibus oravit à Cocinensibus oppidanis, cuius suorum iratis. Nihil ille sibi decoris ex pulcherrimis actis miraculisque arroga- bat; laudis partem nullam, nec quasi laureolam decerpe- bat ex victoriis, quas creberrimas & præclarissimas de tempestatibus ac dæmoniis, de omni genere morborum ac morte ipsâ retulerat. Gratulationes in Deum, quem unum beneficiorum autorem jubebat agnosci, piè demissèque re-



fundebat ; gloriam omnem , nec levissimè à se delibatam ; fidelis ad Dominum servus ministerq; integerrimus omnino trans mittebat. Nullos unquam Xaverius honores , nisi coactus , admittit , non sibi , sed religioni , ad conciliandam Evangelico ministerio auctoritatem , fidemque ea specie promovendam. Atenim , quod Paulus & Barnabas post visum à Lystrensibus miraculum vix impedire valuerunt , id Xaverius tot tantisque per Indias editis prodigiis vitare non potuit , quominus jam defuncto sibi honores divini ab ethnicis multiplices haberentur. Et populi quidam ad Piscariæ tractum occiduum mahometani , & Travancoridis rex eidem sectæ addictus , utrobique Xaverio fanum , suæ licet hosti everforique superstitionis , construxerunt.

Veriori cultu sanctissimum virum Christiani Indi celebrarunt : ædes plurimas Deo consecrarunt Xaverii nomine inscriptas : atque in ejus honorem tantâ propensione incubuerunt , ut quocunque in templo Xaverianum facellum dicaretur , aut affigies Apostoli Indiarum proponeretur , illicò suus ædi titulus excideret , novo commutatus obrutusque titulo Xaverii , in quem studiis omnibus sese multitudo converteret. Ille ab urbibus clarissimis , Goa , Malaca , Manila , Macao ; ille ab insula Manara ; citiùs dixerim , ab India Patronus ambitus & adoptatus , vivit in clientium populorum animis , & oculis propè obversatur. Miraculis perennibus Xaverii *mortuum prophetat corpus*. Ubi Apostolo curriculum fuit laboris , *a & erit requies ejus gloria*. Qui vitam gloriæ Divinæ solidam impendit , eundem a morte Deus in terris etiam gloriâ cumulavit.

a *Isai. c. II. ex Hebr. & LXX. quod habet vulgata ; & erit sepulcrum ejus gloriosum.*







PARS CAPITIS POSTERIOR.

*Prophetas facis successores post te..  
Qui scriptus es in judiciis temporum le-  
nire iracundiam Domini. Eccli. XLVIII.*

*Gloria & honore coronasti eum, & constituisti eum  
super opera manuum tuarum. Psal. VIII.*

**Q**UOD generatim de homine Propheta cecinit; quod propriè de humani generis capite Christo Apostolus exposuit: id ego ad Xaverium jure meritòque traduxero. Servum enim Dominus, egregiè fidelem ac prudentem, constituit potentia suæ administrum, & alterum quasi naturæ dominum, ut elementa pro arbitrio moderaretur, ceterisque conditis rebus imperaret: ignem jam è montium exciret visceribus, jam furentem in domos compri-meret; pluviam eliceret, mare tranquillaret; ventos sedaret modò, modò excitaret; terram hinc concuteret tremore, illic sterilitate solveret; piscium uteretur obsequio, feras verbo exterminaret; hominum corporibus morbos, dæ-  
mones fugaret; sepulcris cadavera evocaret; animos nu-  
daret, converteret. Disjunctissimas regiones, præsens  
ubique miraculis, & immensus beneficiis coniunxit; Euro-  
am cum Asia devinxit: ne quid de Africa dicam, quam,  
nec labore intactam suo, famâ pervasit; ne quid de Mexico,  
ac reliquis Occidentalibus Indiis, quas perinde atque  
Orientales sui nominis gloriâ complevit, tutelâ compre-  
hendit.

Z ij



Sed ego hanc posteriorem Xaverianæ gloriæ partem finibus Europæ circumscribam. Neque illud tamen præclarum Magdalena Jassæ, virginum in urbe Gandia sacrarum Antistitæ sanctissimæ, oraculum de fratris Apostolatu repetam: nec Parisiis adeptam ingenii doctrinæque lauream, nec decus insigne Venetiis relatæ de se ipso victoriæ; nec Bononiæ positum Evangelici muneris tirocinium, Romanasque subinde primitias; nec Olyssipone, dum Indicam transmissionem expectat, partum sibi suisque Apostoli nomen commemorabo. Posthumam hinc ego tantum Xaverii gloriam loquor; tametsi in iis, quæ attingi, locis persistent illius defixa ad immortalitatem monumenta.

Nec verò epistolas referā ex India missas; quamvis & publicā laude celebratas, avidèq; à magnis viris requisitas, dū recentes per Europam volitarent; & adhuc justā existimatione recentes, altero jam seculo, florentesque gratiæ vivaci spiritu; quo ad Divinæ gloriæ studium, animarumque conquisitionem omnis excitabitur posteritas. *Allatæ sunt litteræ ab Elia propheta ad Joramum Judææ regem impium, tanto scriptore dignæ; quæ scelera increparent, poenas denuntiarent. Scriptæ ab Xaverio litteræ ad varios, ac nominatim ad Joannem III. Lusitaniæ regem, pium sanè, & religionis cum imperio suo per Indias adæquandæ studiosum; at in regios ministros, per quos crebra religionis propagationi impedimenta objicerentur, parum animadvertentem. Ad hunc igitur Xaverius epistolas identidem conscripsit salutaribus acres monitis, & quales Paulinas Corinthii sentiebant, graves & fortès. Quas autem ad Ignatium dedit litteras, ex cùm aliarum notis virtutum insignes, tum maximè demissionis ac venerationis in sanctum Præpositum argumentis elucent. Quæ animi ingenua religiosissimaq; demissio facilè in hisce verbis ex libro secundo Turfellinianæ collectionis extat atque eminent. Te ego Pater anima mee, summèque mihi venerande, positis humi genibus (sic enim hanc tibi epistolam scribo) tanquam si præsentem intuerer, suppliciter oro &c.*

At iis, ut dixi, laudandis, quæ omni sunt præconio majores, haud immoror. hoc tantum subnecto: per episto-



las defunctus adhuc loquitur & multarum gentium linguis, & mille simul in locis: idemque pariter & sapientissimè utilissimèque docet, & suavissimè honestissimeque delectat, & fortissimè efficacissimèque movet, atque ardua sic persuadet, ut *experimentum* præbeat eius, qui in se loquitur *Christus*. Quâ non in regione editum istud est publicæ vocis monumentum! Equidem memini Xaverianarum litterarum exemplum legere me, Gallicè versarum, jamque ante annos centum & triginta Parisiis excusarum, apud Indos agente in vivis Apostolo: qui Deum ore manumque, dicendo scribendoque sic ubiq; laudavit, & obsequiis æternis honestare pergit; ut perpetuis ipse doctorum hominum sanctorumque elogiis, concionibus, libris collaudetur; principum ac populorum testimoniis, officiis, donis magnificentius in dies cohonestetur.

Non vacat per innumera virorum illustrium de Xaverio luculentè dicta spatari: sed operæ pretium me facturum arbitror, si partem huic loco inseram eorum, quæ scripsit de Indiarum Apostolo Thomas Bozius, Congregationis Oratorii presbyter, l. VI. De Signis Ecclesiæ Dei, c. III. Ipsa Doctoris verba, non satis nota plerisque, ad usum communem appono. *Veniamus, inquit, ad nostræ ætatis virum Franciscum Xaverium... Nunc advocentur omnes heretici, qui ab ipsius Ecclesiæ incunabulis unquam fuerint; & petatur aliquis ab illis, qui tam remotas oras adierit pro Christi cultu propagando, qui dimidium tanti itineris confecerit. Quid dico dimidium? vide quò descendam; decimam partem. Colligunt namque ab urbe ad Iaponios milliarium millia viginti... Universos tamen sumas hæreticos, quotquot fuerint ab exordio Ecclesiæ nascentis in Occidente. austin dicere tot linguarum gentes ab universis hereticis haud fuisse heresi pollutas, quot è linguarum gentibus iste Xaverius aliquo Christianæ veritatis ac pietatis lumine multos illustravit. In Galliis ille aliquot à vitiis ad virtutem, in Italia, in Hispania revocavit. mox iisdem progressibus Africæ innumeras oras & insulas circumnavigavit; Indiæ urbes cis Gangem; inde ultra auream Chersonesum, Taprobanam & Molucas ad Iaponem venit. Quamobrem licet heretici plures procul dubio homines perdiderint, non tot tamen linguarum gentes in Occidente averterunt ipsi à Religionis Christianæ ve-*



ritate, quot iste non ex omni parte in orbe toto, sed ex aliqua Christo adjunxit...

Hic linguas enumerat, in orientis obeuntisque solis partibus contritas: longè plures tamen potuit percensere usurpatis à Xaverio; qui, ut ipse testatur Bozius l. iv. c. ii. cunctas oras, quas Oceanus ab Indico mari ad extremos Sinas ( id est totius orbis ambitus dimidium ) circumfluit, Evangelii prædicatione illustravit ac replevit. Ubi superiorem sententiam enumeratione linguarum probavit, hæc idem subjungit. Age verò maxima de Xaverio dicamus. universi hæretici ab Ecclesia Christianæ constitutione, per tot secula, per annos mille quingentos & amplius haud traduxere ad hæreses suas tot gentes, aut idololatrias, aut alioquin à Christi cultu alienas, quot unus Xaverius ad cultum Christi annis undecim. tot enim ( non solidis, ultimo dimidiato ) fuit in Indiis vir ille admirandus. Hæretici perverterunt semper Christianos: at gentes à Christi cultu alienas nunquam perduxere ad illum, ut Signo de Fidei propagatione ostendimus. Quis itaque numeret, quot hæreticorum millia fuere à magi Simonis defectione usque ad hunc annum? & his tanta in re præstat unus Xaverius. Unus Xaverius plures gentes, plures homines, Christiani cultus prius inimicos, annis undecim Christo adiunxit, quàm innumera inimicorum millia ex omni gente & natione è toto orbe terrarum per annos quingentos. Quis hic non oblupefcet? Hæc Bozius.

Obstupuerunt enimvero ipsi hæretici; neque Xaverium scriptores eorum aliqui debita laude privarunt. Specimen esto Richardi Hacluiti Angli ministri testimonium hoc, in volum. ii. De primis navigationibus, part. ii. Pius ille Confessor, & solers Indorum in iis, quæ ad religionem pertinent, institutor, Franc. Xaverius post multos exantlatos labores, post injurias & calamitates magno animo superatas, omnibus benedictionibus spiritualibus plenus, obiit an. M. D. LII. postquam multa hominum millia ad fidem Christi perduxisset. De hoc viro sancto, virtutibus ejus & mirabilibus, omnes recentes Indorum historie testantur. Ceteras ut omittam heterodoxorum diversis è nationibus perhonorificas de Xaverio testificationes; id à recenti ex iisdem partibus Relationum variarum scriptore Gallo vis veritatis expressit, ut Sanctum absolutè cogno-



minaret Xaverium, & Paulum & verum Indiarum Apostolum. Fuit & autor non ignobilis, qui sibi ad Ecclesiam revertendi præcipuam extitisse rationem sit professus, & invictum ac decretorium pro Fidei Romanæ Religionisque Catholicæ veritate argumentum visum, illam sanctitatem & acta mirifica Xaverii. *Ut* profectò, cùm tanta Xaverii sanctitas, tantusque ex ejus laboribus hominum fructus extiterit, mirum non sit, si Viro virtutibus ac miraculis inclyto, incensis populorum studiis, supplicibus Principum litteris, totius Indiarum Cleri precibus, flagrantissimis Lusitaniæ Regni votis, ac panè generis humani consensu, cœlestes honores ab Apostolica Sede contendantur. inquiebat Zambeccarius, à me non semel appellatus, Gregorio XV. pro B. Francisco Xaverio in Sanctorum numerum referendo supplicans; & superiori complexione orationis suæ Consistorianæ partem concludens posteriorem.

Decreti fuère, qui tanta pietatis contentione expetebantur honores: & quem Paulus V. Beatum dixerat, Sanctum Gregorius suprâ nominatus ritu solenni declaravit. Atque hic honorum, qui in terris haberi homini possint, apex triumphis omnibus longè augustior, & Christiana quædam veluti Apotheosis, subinde Urbani VIII. diplomate, elogioque Pontificio, cum illustri cognomine tituloque Apostoli Indiarum consignata, per orbem universum quàm maximâ celebritate agitata est. Mox templa insignia per Orientem passim & Occidentem, atque in urbibus Europæ nobilissimis constructa, Xaverii nomen sibi præscripsere: nec pauciores in hac terrarum parte, quàm in adversâ, populi sese in ejus clientelam patrociniumque contulerunt.

Felix Navarra, quæ sibi ipsa Tutelarem genuit; quæ Xaverio castro, natali domo Apostoli gloriatur! domo, quæ solidam spectabilemque vivente Francisco prophetiam exhibuit; Crucifixi Domini signo, prægrandi ac perantiquo, sudorem fundente sanguineum, quoties apud Indos Xaverius graviore cuipiam labori insudaret: qui, perinde ac Paulus, verè diceret; *Christo confixus sum cruci.*



( Et mirabilis hæc quasi sympathia domesticis constitit ex Indicarum nuntiis litterarum. ) Quo autem defunctus anno est, cruore simulacrum istud propheticum sudavit sextâ quaque feriâ : quem in diem, Christo patienti sacrum, incidit & Apostoli, *semper mortificationem JESU in corpore suo circumferentis*, mors, & sancto ejusdem corpore Goam invecito funebris pompa, vel potius triumphalis. Xaverii morte finitum prodigium, ut appareret, cui sudores illi fluxissent. At manent hodieque sudati sanguinis vestigia, quæ non solum Navarræ, sed longinqui etiam peregrini solent piè demirari; ex iis quidquam decerpere, ut aliquando factum erat, vetiti interdicto gravissimo Pompeiopolitani Antistitis.

Verùm quid admirabilius dici potest, quàm quod ex recentibus Christianis, Magni Sanctiq; Patris clientibus, Indus ab urbe Goa Xaveriam ad arcem peregrinatus est; locum visurus, ubi Indiarum Apostolus in lucem fuisset editus? Venit, vidit; visusque sibi hoc tanti laboris fructu beatus, Goam redit. Posteaquam cubiculum ingressus, quod nascentem Franciscum exceperat, solum osculis impressit, aspersit lacrymis; nihil Europam moratus, sacri ex cubi- culi pariete lapillum, quem margaritis Indiarum omnibus anteponeret, immensæ navigationis pretium, piæ voluptati superadditum, in patriam retulit.

Fortunata quoque Bononia, hospitio nacta Patronum! D. Lucie templum, quo in templo sacra ministeria frequentarat Xaverius, Xaverianæ Societati in ejusdem cultoris sui Evangelici gratiam adscitæ civitas egregiè memor addixit: cubiculumque proximum, quo usus fuerat vir Apostolicus, ipsi postea sacelli splendidi formâ dedicavit. Ac vicissim beneficentissimus Patronus urbem, quæ totam se illi, non ædiculam modò, consecravit, fovet miraculis; imagini suæ in eodem sacello allucentis lampadis, & omni fiderum fulgore aspectabilioris, tanquam perennis & inexhausti bonorum fontis oleo ad inunctorum corporum salutem affluente. Nec verò eos duntaxat populos in fidem suam recepit Xaverius, quos olim dum inter mortales ageret, beneficiis occupasset, mutuisque pignoribus com-  
prehen-



prehendisset. & quæ nunquam os videre Xaverii, nedum labores frugiferos experiri civitates potuerant, peræquè in ejus tutelam præclarâ fiduciâ concesserunt. Neque in Hispania tantum & Italia, verum etiam reliquarum nationum urbes quamplurimæ tam benignum, tam mirificum, tam salutarem Patronum adoptarunt. Crescitque in dies clientium numerus, non singulatim, sed populatim. Recens quidem consecratione publicâ accessit, tradiditque sese in Galliis Xaverio Arvernæ superioris oppidum Marcenacum: ac reliquias viri cœlestis exiguas, proceræ ex argento statuæ insertas, annuâ pompâ circumfert. quâ peractâ mox dicatio & cunctæ civitatis nomine renovatur, & à singulis instauratur: præsidiumque, felici experientia notissimum, piis omnes gratisque animis perpetuum sibi precantur. Jam Augustæ Taurinorum, jam Parmæ, jam Placentiæ, tot aliarum urbium, ipsarumque adeo gentium, quàm ampla, quàm decora Xaverio clientela!

Verè tamen hoc mihi videor & citra cujusquâ injuriam dicturus, Europæorum nullam aut cariorem Apostolo Indico aut splendidiorem clientelam esse, quàm Neapolitanorum. Quo in regno cum urbes illi permultæ sint consecratæ, ac mirabilium omnes beneficiorum participes; tum Potamo in primis, Calabriae oppidulo ad Apenninum, Xaverius indulgentem se, Thaumaturgumque largissimè præbuit. Ibi cuivis malorum generi præsentissima remedia: moribundi complures ad sanitatem, nec pauci etiam mortui ad vitam revocati: Dæmoniis, quæ nusquam ejici poterant, liberati energumeni. Quid, quòd Apostoli benignitas occurrit ipsa supplicibus? O mirabilem curam! O immortalè Xaverii misericordiam! Votis necdum evocatus, ignotus vel nomine interdum miseris, ultro adfuit, semet indicans: apparuit frequens in somnis, eâ plerumque formâ & specie, quâ spectatur in effigie illa, tot miraculorum origine, propositâ in æde Potamensi Deiparæ Virginis à gratia nuncupatæ: lineo amiculo candidatus; stolum, quæ vocatur, sacerdotalem è collo suspensam, liliolum manu gerens, virginitatis insigne. Aut opem attulit laborantibus, partem corporis affectam agramque jam



signare cruce visus, jam coelesti balsamo illinere: aut opportunum expositumque ostendit auxilium, & quasi apertam venam salutis; adirent Potamum, imaginem suam venerarentur. Quæ utraque via medendi gravissimis & desperatis morbis, Indicæ ad iconem Cottatensem opitulationi respondet ac consonat. Adde consimilem inunctionem ex lucernæ coram accensæ oleo. Inde miraculorum series perpetua ab anno seculi hujus altero supra quinquagesimū; ex quò locata fuit in Potamensi templo Xaveriana effigies. Selecta ex innumerabili copiâ viginti & centum insignia riteque testata miracula sunt in manibus; Italicè primū, tum Latinè, aliisque linguis post edita.

Sed ipsam admirationem superat, quòd in urbe Neapolitani regni principe quadringenta uno die confecta miracula sunt; ægrotis, adeoque peste oppressis totidem hominibus, unâ Xaverii invocatione publicâ, susceptoque à Magistratibus voto, de quo mox pluribus erit agendum, simul ac subito persanatis. Quanquam his ferè omnibus unum famâ excellit redditæ Patri Mastrillo salutis prodigium: si tamen est unum appellandum, tam multiplex, ac longè diffusum, cumulatūque & palmare beneficium. Cuius & prioris tempore miraculi, & ad Xaverianum Neapoli exposcendum patrocinium auspiciatissimi narratio, consecutæ salutis communis, votivæque ac triumphalis gratiarum actionis expositioni rectè atque ordine prævertetur. Hactenus eum, qui modico, quàm Angeli minoratus est, vidimus gloria & honore coronatum; ac quantum se humiliaverat, tantum promissâ redditæque à Christo vice exaltatum variis modis & locis, crebrisque per Europam miraculis insignitum generatim: nunc in amplissimo theatro Neapoli spectandus nobis est Franciscus, Eliæ instar faciens prophetas successores post se; ac subinde leniens iracundiam Domini. Qua ex utraque parte novus gloriæ, quod fieri jam posse non videbatur, maximusque Xaverio cumulus accedet.

*Fecit Prophetam successorem post se Elias Elisæum; aranti pallium injiciens primū, ac deinde, cum in coelum tolleretur, idem pallium videnti & oranti dejiciens. Quo loco haud ineptè successoris Prophetæ applicetur illud Isaia:*



*Experius est quasi pallio zeli. tum Spiritus, id quod optaverat, duplex ( Prophetiæ & miraculorum, ex interpretatione S. Thomæ Aquinatis ) ad eum transit : ut gratulari cum alio Prophetâ sibi potuerit; funes ceciderunt mihi in præclaris : etenim hereditas mea præclara est mihi.* Erant præterea quædam collegia piorum ac religiosorum hominum, qui Filii vocabantur Prophetarum, sub Eliæ disciplina viventium; ac magni hujusce vatis, quem patrem suum Elisæus vocitabat, posterorum, & mysticorum tanquam examinum,

*partem divinæ mentis & haustus*

*Ætherios, ab eodem isto capite ducentium.*

Habuit Xaverius itidem spirituales, ut appellantur, liberos in diversa per Indias domicilia tributos, quibus ipse religiosâ præerat autoritate, & potestate legitimâ sapientissimè imperabat; eximios utique viros, Evangelicosque Doctores: quo Doctorum nomine interdum censentur Prophetæ. Atque per se ab Xaverio institutis atque imbutis, Xaveriani *primitias spiritus* habentibus, alii ex Europa supervenere Apostolicæ vitæ sectatores, patrem omnes ducemque agnoscentes eum, qui primus eisdem sancti generis hominibus invictissimo animo laboriosissimaque charitate Orientem aperuit. Quales illi, quantique successores! Cosmus Turrianus, quem secum in Japoniam Xaverius duxit, vel hoc delectu commendatissimum; Melchior Nunnius, jam suprâ laudatus, qui deposito Societatis duplici magistratu latus alacerque in eundem campum excurrit; Confalvus Silveria, Rodolphus Aquaviva, Carolus Spinola; summi planè Heroës, si non cum Xaverio comparentur; atque ex his proximi tres, etiam martyrio laureati. Innumerabiles alii succenturiati, nec sanè gregarii, *laborarunt sicut boni milites Christi; in India Japoniaque certarunt bonum certamen fidei.*

At unum ex omnibus Franciscus delegit Marcellum Mastrillum, quem singulari benevolentia complexus, & miris ornaret beneficiis, & sibi vicarium obeundi, quod frustra olim exquiserat, martyrii supponeret. Neapoli ortus erat Marcellus anno supra millesimum sexcentesimo tertio, genere cum primis illustri: datoque Societati Jesu



nomine, jam inde à tirocinio cupiditate missionis Indicæ exarserat. Processu temporis inflammatum desiderium; & assiduè summâque contentione à Præposito Generali facultas profectiois expetita; ac multas post significationes, quibus ea divinitus portendebatur, importunis demum extorta flagitationibus, ad nihilum tamen reciderat, obnixè intercedentibus necessariis. Interim vergebat ad occasum annus volventis seculi tertius ac tricesimus; cùm Prorex Neapolitanus, magnificentissimis honoribus Immaculatam Deiparæ Conceptionem in ipsa regia celebraturus, aras quatuor ad amplissimi peristylî angulos excolendas Proce- ribus quatuor assignavit. In iis quatuor viris fuit Brancaccii Cardinalis germanus; qui patrem Mastrillum, affinem sibi pèrque familiarem, in muneris partem sui vocavit, pro eâ, quâ norat pietate omnia ad Beatissimam Virginem spectan- tia prosequi solitum. Adfuit verò Marcellus aræ quam or- natissimam curaverat, Divinæ gloriâ Patronæ Matrisque amantissimæ latissimus: dum haberetur in atrio regali pompa, nobilitatis & numero & cultu splendidissima, III. Idus Decembres, proximè Conceptionis festum secuto die do- minico: sed adfuit eâ sibi adversùs curiositatem lege indi- ctâ, ut oculis solo fixis ne quid de tanta pompa tamque spe- ctabili aspiceret. Rite omnibus transactis, cùm aulæa refi- gerentur, ibidemque perstans horâ jam noctis alterâ Ma- strillus opifici sublimè agenti quidpiam mandaret; homini elapsus inconsiderato malleus bilibris, in Patris caput ex alto decidit, sternitque cruore deformatum, ac propè ex- animatum ictu ad tempus dextrum excepto. Atenim casus ille, non casus est putandus, verùm altioris eventus cœ- lestisque consilii: neque *infirmitas hæc ad mortem* ( ut inquit de Lazaro Christus ) *sed pro gloria Dei & Xaverii.*

Domum relatus æger, gravissimos inter dolores funesta- que morbi indicia tentatis nequicquam remediis, primâ denique & vicesimâ ab ictu die, quæ potissimùm decreto- ria habetur, prorsus à medicis conclamatus est. Jacebat nervis partim solutis, partim contractis; stupente capite, oculis hebescentibus; ore sic obstructo, ut ne stillam qui- dem admittere liceret; toto obrigescente & algente cor-



pore, nullis ut fomentis, vel igni adhibito, levaretur. Ergo ope desperatâ mortali, omnis ad Superos cura vertitur, non jam vitam ut exoret, sed faustam ut mortem impetret. Postridie Calendas Januarias coram Provinciali Præposito Mastrillus vovet Indicam profectionem, si quidem usura vitæ daretur: cujus spes nulla cùm superesset, id verò datum est solatii incensæ cupiditati missionis. Sub noctem extrema unctiōe procuratus, quando via nulla suscipiendo patebat sacro viatico, in hanc gratiam apud Deum interponere statuit Xaverium, quem expeditionum Indicarum præsidem auspiciemque jamdiu colebat unicè, res ab eo divinè gestas quotidianis amans usurpare sermonibus.

Itaque pictam Divi imaginem aliquam postulat, ad cubile parieti appendendam. Affertur picta vicino è cubiculo tabula, Franciscum peregrini exhibens habitu. Et annis ferme undecim peregrinatus erat in India Xaverius, & propriam aliquando peregrinationem ad Apostoli Thomæ suscepit. atque hæc voto Marcelli apprimè consentiebat effigies. Quæ simul atque affixa in conspectu fuit; Sanctum sicuti præsentem ægrotus interpellare suppliciter institit, & Xaverii quas habebat reliquias, ori frequenter juguloq; admovere; etiam atque etiam obsecrans, ne se migrare coelestis exortem viatici pateretur. Exin ratæ obsecrationis conscius, 111. Nonas Janua. qui dies illi supremus fore videbatur. mane sacrosanctum efflagitat viæ ad æternitatē obeundæ munimen & subsidium: remque expertus in materie profana, sacratam haurit expeditè suaviterque hostiam. Tum, quæ in hunc solum usum fuerant patefactæ, rursus ita compressæ oppilatæque fauces sunt, ut potionis vel guttulam excluderent. Quare diem hanc, ut narrat Philippus Alegambe, *mortis inter & vitæ confinia totam traduxit... Instabat jam hora ab solis occasu quarta; & vix horæ quadrantem sibi reliquum esse vitæ Marcellus ipse rebatur; erantque jam funeri curando prompta omnia.*

Hoc summo, &, ut ita dicam, fatali articulo, ecce tibi qui à multis jam diebus planè torpebat, nec nisi à pluribus loco poterat commoveri; eum ultro per se ac subito averfū ad parietem mirantur qui aderant moribundo socii. Mox



certis emissa verba intervallis, sic tanquam præeuntem se queretur, audiunt. Nempe ( ut brevi post ex ipsius ore Mastrilli jam valentis intellectum est ) Marcelli iterato nomine vocatus, repente vires dudum stratas elisasque recepit; ac labore nullo in eam partem, unde submisso vocatu ciebatur, sese convertit. Ibi Xaverius, qui se Mastrillo creber toto morbi tempore cernendum variâ specie, jam solus, jam multo claroque comitatu obtulerat; ægroti lectulum inter & iconem parieti appensam medius adstabat, quo in tabella expressus habitu peregrini; sed integro corpore, ac splendido vultu, mirâ coelestique majestate pariter ac suavitate. Tali tantoque spectaculo defixum, & inexplicabili modo recreatum Divus Marcellum cum interrogasset; utram optaret, mortem an Indiam? respondissetque Marcellus, optatius sibi utrumvis gratius Numini foret: tum sciscitanti, memorne voti esset pridie nuncupati de profectioe Indica, si vita suppeteret? se verò memorem cum annuisset: rursus igitur se devovere jussus ab Xaverio, & à se concepta verba repetere, audiebatur à sodalibus verba præeunte subsequens, cum nulla præeuntis vox audiretur. quemadmodum ubi Saulo Christus apparuit; Sauli quidem respondentis, comites, non item alloquentis Christi vocem exceperunt. Votorum autem religiosorum, quâ solet uti Societas. formulam prævit Xaverius, addito insertoque de Apostolica missione Indica voto. Et alia nonnulla, quorum jam partem retuli, cum de Apostolatu disputarem Indiarum, suo quidque loco adjunxit atque intexuit; præsentia mentionem suâ, sua decreta meritaque, & sanguinem pro Divino amore fundendum.

Quibus verbis omnibus à Mastrillo sensim & ordine redditis, condonatâ ipsi vitam Sanctus Pater & sanitatem subjecit; jussitque, in gratiarum actionem. Domini Jesu de cruce pendentis, quem manu tenebat, vulnera exosculari. Sub hæc percunctatus, ecquid particulam veræ haberet Crucis? aienti præcepit, eam parti affectæ corporis applicaret. Cùmque is tempori fauciato applicuisset; capitis renutu Xaverius falli ægrum significat: & hastili, quod gerebat, viatorio à dextrâ in lævam translato, manum ipse oc-



capiti suo admovens, indicat latebram mali, cuique sit parti remedium admovendum. Vix obsecutus erat Marcellus indicio; morbi que labem Divinarum thecâ reliquiarum contigerat; cum ejusdem salutiferæ Crucis venerationem indicit Apostolus, verbaque iterum præfatur, quibus lignum pretiosissimum salutet; se totum illi dedicet in perpetuum, ac martyrii suppliciter gratiam petat. Subjunctaque continenter dicta eodem pertinentia, quibus nuntium remitteret *parentibus, propriae domui, amicis, Italiæ, omnibus que retardare possent Indicam missionem.* atque hisce vocibus exemplum generosi & instincti charitate dissidii absolvit. *Me totum in animarum salutem apud Indos dico, coram Sancto Patre Xaverio.* Quæ cum referret Mastrillus, de suo apposuit; *meo, meo Patre.* Et Xaverius piæ voluntatis eruptioni blandissimè assensus; *Bono, inquit, ac leto in posterum animo esto; atque hos actus quotidie repete.* Simul ex illius conspectu se subduxit; ac morbum ita abstulit, ut ne vestigium quidem ægritudinis reliquerit. Languor omnis Mastrillo abscesserat, & macie abstersâ refloruerat vultus, affuso etiam quodam nitore insolito, & divino quasi radio sanctitatis.

Jam veluti à cœlesti scena in mortalium consortium revocatus, adstantes stupefactosque socios rogat, Ecclesiastica laude & oratione Divum compellent Xaverium, cujus prodit arcanum opere, sed illustre effectu donum ac miraculum. Jam & probandæ sanitatis & firmandæ gratiâ (quod ultro à Christus puellæ in vitam restitutæ ministrari subsidium mandaverat) cibum, quem à quatridduo nullum gustarat, poscit. Tum domesticis audito prodigio concurrentibus universis, ad Xaverianam iconem in apertum elatam festa habetur supplicatio, & solenne gratulationis sacræ carmen Deo in Sanctis suis mirando ac laudabili persolvitur. Surgit lectulo Mastrillus, sibi ipse togam inducit, fascias & involucra medicamentis delibuta capiti detrahit, supplex ad Patroni beneficentissimi effigiem accidit. Mox visum factumque exponit P. Vincentio Carrasæ, Collegii tunc Rectori, postea Moderatori Societatis Generali, viro

a Marc. 5. Luc. 8.



sanctitate etiam quàm sanguine clariori. Subinde, quoniam  
*b opera Dei revelare & confiteri honorificum est*, cunctam re-  
 centis rei seriem per duas continenter horas noctis per-  
 cribit is, qui modò tam propè à morte abfuerat: mane in  
 templo sacris ad aram Xaverianam operatur, civitatis ad  
 tanti miraculi famam excitæ celebritate maximâ. Per diem  
 indefessus hominum vim excipit innumeram ex nobili-  
 tate Neapolitana, cunctisque ex ordinibus, partim offi-  
 cio, partim honestâ curiositate affluentium ad visendum,  
 quem Cœlites ipsi inviserent, hominem & genere illustrem  
 & virtute, periculo suo & liberatione illustriorem, à  
 media morte ad martyrii gloriam revocatum. Sic agit, sic  
 obit publica privataque munera, veluti nunquam ægrotas-  
 set. Quarto post die Nolam excurrit ad matrem letali  
 morbo laborantem: cui per octiduum assiduè diurnam ex-  
 hibet nocturnamque operam, veste interim nunquam ex-  
 utâ, dum felicem Nati pietate in cœlum transmittat, felix  
 ipse obitûs materni opportunitate, ut caneret liberatori  
 suo; *Dirupisti vincula mea; tibi sacrificabo hostiam laudis*; per-  
 fecti compos beneficii, ad Japonas evolans, seque ipsum  
 immolans Deo.

Pluribus hoc ego distinctiûsque sum executus miraculum  
 ob eximiam rei dignitatem; quòdque apud Europæos, &  
 hujus ætatis homines fidem adstruat prodigiis & antiquo-  
 ribus recens, & ex India auditis spectatû in Italia; nec cui-  
 quam esse dubium possit, quod & in urbe nobilissima & in  
 clarissimo capite contigerit. Equidem injurioso silentio  
 mihi videor & quadam prævaricatione peccaturus, nisi  
 referam quod ipse ex oculato teste, non solùm ex publicis  
 litterarum monumentis accepi; itaque narratum audivi,  
 ut aspectu usurpasse mihi videar. Paucis abhinc annis Lu-  
 tetiæ in amplo confessu tota egomet de historia quæsi-  
 vi ex patre Italo, qui adfuerat in valetudinario cum religio-  
 sis aliquot lociis, quo tempore adiit sanavitque Mastrillum  
 Xaverius. Age sanè, quo loco ægri salus esset, aperuit sta-  
 tim is, quem dixi, spectator; narrationem hisce exorsus  
 verbis

b Tob. 12,



verbis. Agebat animam P. Mastrillus... Exinde, quidquid à me jam allatum est, pluraque pertexuit; atq; hoc in primis; cùm adstaret decumbenti Cœlestis Opitulatoꝝ, cœpissetq; Marcellus colloquium miscere cum Sancto, reliquis inal-pecto; sacerdotem valetudinario præfectum, quò certius ægroti verba perciperet, cubili intermedium parietisq; obrepisse, & quâ se inferebat, Mastrillo apparentem Xaverium penetrasse: adiutorem, cui ægrorum cura erat com- missa, eodem transire secessu tentantem, arcana vi fuisse præpeditum; sinistro omine, defectionis quæ postmodum evenit, à Societate. Vidit historicus ille familiaris (cùm accessisset ad lectulum, ratus ægrum reducto brachio ope- rimenta adducere in humerum velle, nudatum conversione repentina corporis ad recessum, ex quo vocabatur) vidit proximè, cùm Sanctæ Crucis particulam Marcellus, uti erat iussus à Sancto Patre, capiti admovent. Eidem pa- stum petenti ipse detulit, sed initio tenuissimum, eius ob- structo jampridem, ac penitus invio gutturi jure diffusus. Atenim faciliè expeditæque transmitti escam vidit & stu- puit ore illo, cui ne guttula quidem infundi per diu ullâ vi potuisset. Quapropter alio subministrato cibo, ex libera edendi facultate ceteraque agendi ratione absolutam mu- tationem agnovit, & valetudinem optimè constitutam: Qui paulò antè sic quasi effigies spirantis mortui jacebat, nunc firmis pedibus stare, ingredi, prodire.

Hic ego, usque adeo mirabilem eventum ut parte ab om- ni pernoscere, ex fideli ac præclare memori teste cum scitatus essem nominatim de capillis, renatine sanato ca- pitis vulnere fuissent? vides, inquit, cùm plaga capite est accepta, quæ fieri incisiones soleant? Atqui P. Marcellum, ubi caput integumentis evolvit, nos ita persanatum cons- peximus, ut nec cicatrix ulla extaret, & capilli abrasis incisisque partibus omnino renati ad aliorum æqualitatem succrevissent. prorsus ut, cui parti inflicto vulnus, aut aliquando inflicto suspicari non posses. Hęc ego cum aliis multis ex viro audivi religioso & gravi, qui præsens in ipso Mastrilli cubiculo, neque otiosus interfuit mira- culo spectator; qui animam jam jam agentem, repente



valentem & vidit & pavit. Scilicet *hæc mutatio dexteræ Excelsi. A Domino factum est istud, & est mirabile in oculis nostris.*

Nec tantùm Xaverii, quod antea notabam, reliquis miraculis & tempore & loco remotis fidem adstruit miraculum hoc, quod hæret adhuc ferme in oculis; sed omnino Fidem Christianam Catholicamque validissimè confirmat. Ubi sunt Hagiomachi illi, illi, qui cœli terræq; commercium tollunt; qui Sanctos negant scire aut curare mortalia; Immortalium violant memoriam, invocationem abrogant, honores condemnant, reliquias conculcant? En Xaverius periculis & necessitatibus intervenit clientis; à Mastrillo invocatus adest; ægrum, morientem illico recreat; Divinæ Crucis usum præcipit, venerationemq; mandat. Quousque Religionis hostes religiosi obstrepent institutis & votis? En, formulam illam votorum à se nuncupatorum, ex consiliis Domini Evangelicis, quam Lipsanortheçâ inclusam gerebat olim mortalis Xaverius; votorum, quæ & ipse renovabat quotidie, & aliis quotidie renovanda commendabat, etiamnum repetit ac præit ore immortalis. Quid imaginum sacrarum causa, quàm splendidè per hanc est actionem vindicata! Ne Crucifixi Domini sudantem effigiem ex Navarra; ne Xaverii ipsius, ex India Cotatensem, Potamensem ex Calabria huc adducam; nonne optatâ coram icone supplicans Mastrillus, & viatici Divini susceptionem ore prius obturato impetravit; & peregrini cultu, quem imago referebat, indutum aspexit & servatorem habuit Xaverium? Atque ejusdem imaginis exemplo quàm sit idem mirificè usus per totum iter Indicum; & altera in templo Neapolitano Xaveriana imago, quàm variâ stupendâque colorum permutatione quàm veravates extiterit, posthac indicabo.

Quot verò quantaq; res unâ confectæ! quàm non dubia, aut ullis argutiis eludenda veritatis Orthodoxæ testimonia & suffragia! Quid enim cavillabuntur adversarii? Constat operis gesti an. MDCXXXIV. miraculum. Neapoli in urbe tam nobili, tam frequenti, notissimum Mastrilli & sanguine & virtute spectatissimi extremum vitæ discrimen; ægroti desperata salus à medicis, quem modò animam ef-



staturum deseruerant, cuius morbum humana vi & arte nulla sanari potuisse iurati affirmarunt. Ille igitur omnino depositus, ille cuius ad sepulturam iam essent omnia comparata, extemplo sanatur, aut veriùs reviviscit. postridie apparet in publico, rem Divinam facit, agit familiariter cum viris & dignitate & prudentia magna præditis; muneribus, ut solebat ante gravem exitialemque casum, laboriosis perfungitur. An illi fides negabitur, quod vidit, quod sensit, renuntianti? Locus hic fucò nullus & simulationi. Res loquitur ipsa, seque adeo effert, alieno ut præconio non egeat, ac planè *rebeldes lumini*, & ingratisimos cœlestium interpretes donorum sese prodant, si qui tam illustre obscurare aut subterfugere conentur Fidei argumentum. Jam de Xaverii (quem hujus Divini sequestrem administrumq; beneficii Marcellus declaravit) miraculis universè, tanquam certis invictisq; Fidei argumentis, nonnulla in sexti capitis parte priori, & in hac ipsa, quam tracto, parte observavi; pluraque in operis præfatione generali. Nunc, ut ab ista disputatione ad narrationem me referam, primarium hoc factum quæ consecuta sunt, rite confirmarunt & illustrarunt.

Est hoc mihi quidem in hocce commentario propositum, ut Xaverii gloriam intra fines Europæ describam: sed quando rerum admirabilium series, in quibus est versatus postea Mastrillus, continuatio quædam & confectio cumulûsve extitit superioris miraculi; ex iis etiam, quæ per Asiam propagata sunt, aliqua breviter adjiciam. Id autem primum est considerandum, semel vulgatis iis quæ Neapoli Mastrillo divinitus oblata visa fuerant, & restitutæ salutis & præsignificati martyrii gratiâ, tantam illius existimationem ad Principes & populos dimanasse, ut quacunque iter haberet proficiscens in Indiam, summis afficeretur honoribus; Catholico etiam Rege, tunc Lusitanicarum rerum & Indicarum potente, cum is Madritum expetitus venisset, extraordinariis ipsum titulis & singulari observantia profecuto. Ubique jam Sanctus habebatur, ubique prout designatus Martyr spectabatur: & quidquid subtrahi de viatoris egena supellectili poterat, aliâ subjectâ, carissi-



mè affervabatur. lectuli, sedilia, quibus esset usus, in honore: in pretio erant. Goæ tamen præcipua gratulatione celebratus adventus viri Xaverio acceptissimi. Sæpe nix genibus multitudo prætereuntem venerata est: lacinias vestium alii carpebant, alii impressa solo vestigia osculabantur. Ipse verò qua pietatis incitatione ad Sancti sui (sic enim absolute vocabat) ad Apostoli Indiarum, Patroni potentissimi, Patris optimi sacrum tumulû adiit! Mirè gratum se jam inde à principio Mastrillus Sospitatori suo exhibuerat; memoremque animum extare voluerat in ipsa appellatione, Francisci nomine cooptato: quod quidem consilio præfagioque divino fuerat olim inditum puero in baptismo; sed unius Marcelli vocabulo usitato sic exciderat, ut non prius rescierit alienâ quondam voluntate sibi impositum, quam ipse proprio delectu gratique animi studio intermissum revocarit. Quin Divi sui nomine rogatum, nihil se, quod honestè fieri posset, negaturum voto obstrinxit. Elogiorum, quæ Patres Apostolo gentium tribuerant, seriem à se concinnatam Indiarum Apostolo recitabat quotidie. omnes ad Xaverii cultum hortabatur: & Nobilium sub ejusdem titulo præsidioque Sodalitatem in urbe Indiarum regiâ instituit.

Sed cuius eximiam speciem Neapoli viderat, ejus verum solidumque corpus Goæ cernendi percupidus, egerat cum pia munificaque Hispaniæ Regina, ut in iis donis, quæ plurima regali animo digna tradebat ad augustum Indici Apostoli sepulcrum perferenda, insignis mitteretur amictus, sacro per Mastrillum corpori inducendus, amictu priori ad ipsam remisso vicissim Reginam. Quibus ergo Mastrillus gaudiis, quo liquefcentis animi sensu corpus mirificum aspexit, tractavit, exiit, induit! corpus illud, cui tot annorum lapsu nec color nec succus defluerat; illud sanctæ incorruptæque mentis domicilium quondam & simulacrum, nunc perenne monumentum; unde cœlestis odor & aura quædam beatitatis afflabatur. Dulces venerabileque reliquias Marcellus perquam religiosè, perquam suaviter complexus, ita videlicet affectus est, ut scripserit aliquando, sanctos Indiæ navigationis labores abunde compensari



vel unico Xaverii aspectu; longissimi periculossimique itineris molestias omnes, nullas esse ad incredibilem, quæ capiatur ex huiusmodi spectaculo, voluptatem.

Tulit Marcellus, concessu Præpositorum qui aderant, & sanè libente Xaverio, eius collo illigatum linteolum, adhuc rubente & quasi roseo tinctum sanguine. Ipse verò syngrapham cruore, quem sibi è pectore elicuerat stylo ferreo, exaratum inseruit Patroni digitis, pignus amoris additissimi, beneficiisque summis autorati. Quibus à salute semel redditâ perpetuatis, ac totâ in Indiam profectioe explicatis largissimè beneficiis quò gratiùs responderet; cum animadvertisset, quâ sanctum includeretur corpus, arcam materiâ quidem præclaram & opere, argento affabrè laborato cælatoque solidam, sed aliquanto arctiorem esse atque incommodam: suarum esse partium duxit, ut laxiorem alteram, dignioremque pretiosissimo deposito, curaret conflandam ex argenti numero, qui sibi ingestus ante discessum fuerat in Hispania, pios in usus pro arbitrio dispensandi; atque ex aureorum millibus ternis, quæ in eam rem ultro erogavit, instinctu utique Divino, Antonius Tellez de Silva, classis quæ Mastrillum advexerat, Prætor, cliens Xaverio deditissimus, ipsique amicissimus clienti primario Xaverii Mastrillo. Neque ab illo, cuius ad ornatum facultates omnes suas contulit, sacrario ferè discessit Marcellus per aliquot menses, quibus eum Goa retinuit. Ibi dies, nisi eum proximi charitas avocaret: ibi noctes egit, Xaveriano è sepulcro vitam ducere spiritumque visus, aut mystico funere consepultus. Verumtamen ab isto coelestium deliciarum tanquam ubere avellit se, cum primùm licuit, Xaverium ut ipsum ad Japonica ducem tormenta sequeretur.

Goâ profectus, quo peregrinationis duce, eodem & comite, ut antea, sic deinceps usus est mari terraque Marcellus; novis passim miraculis, ubi necesse fuit, præsentem opem exhibente. Biremi, quâ vehebatur & viris & armis parum instructâ ac sentinam trahente, instabant myoparones Batavici tres. Jam superba hostium imperia; iam minæ pœnarumque denuntiatio, ni protinus deditio fieret, ex-



audiebantur; jam ferè manum prædæ injiciebant: cum trepidè à nauticis vectoribusque advocatus, qui periculi securus precationi incumberebat sub tabulato Mastrillus, idem Xaverianâ quam gerebat, imagine objectâ perfecit, quod effectum alibi fuerat ejusdem Apostoli Brachio objecto navi item Batavicæ: ut in priori capitis hujus parte narratum est. *Num capî potuère capî?* Cursu statim hîc æquè refrænato hæserunt piratici myoparones; Lusitanica biremis adjuncto per Mastrillum Xaverii præsidio non concitata, sed inaccessa, evasit.

Nec leviori illud admiratione dignum extitit, quòd isto Batavorum occursum novique discriminis metu, quæ primùm erat intenta Macao, Manilam averfa expeditaque navigatio est. Arcano motu, & quidem in speciem temerario, huc sese agi sentiebat navarchus; tametsi inexplorata sibi maria, oræ circum infestæ & barbaræ, navigii infirmitas, com meatûs inopia deterrerent. Consultus ea de re Marcellus, Deum suppliciter ipse consulit; sacroque factò, Manilam fortitur. Sortem *c* à Domino temperatam esse apparuit, ad Manilam conversis omnium repente animis, compulsis flatu secundissimo velis, exhaustâ sentinâ, nec aquâ subeunte novâ; denique locorum insciis recto celerique cursu Manilam pervectis. Et continuò patuit Mastrillo Divinæ Providentiæ scopus, ductusque per varios flexus coecasque ambages certissimus. Philippinis insulis, quarum est caput Manila, præfectum adiens Sebastianum Hurtadum Corqueram, nempe admirans gaudensque illum ipsum recognoscit Alcantarensis ordinis Equitem, qui sub extremum vitæ discrimen sibi per visum oblatum Neapoli fuerat, magni fautor extiturus aliquando consilii. Neque eum, *qui contra spem in spem credidit*, sua frustrata fiducia est. Ubi ratio nulla Japonicæ transmissionis ostendebatur, ibi percommodam reperit viam; Deo gubernatori miros amores ex primo aspectu Marcelli immittente, ac talem inspirante mentem, ut qui ceteros omnes transitu in Japoniam, gravis incommodi causâ, arceret, unius Marcelli

*c* Sortes... à Domino temperantur. Proverb. 16.



trajectionem omni ope sibi adjuvandam promovendamq; statueret.

Accessit pio duci strenuoque afflatus vehemens, & acer impetus ad sacrum in Mindanaos bellum capeffendum, Xaverianis auspiciis usuro. Mindanaum prædicatione quondam Xaverius Evangelicâ imbuerat: sed insulam Coralatus Mahometi insanè deditus occuparat, foedèque in Christianos quaquaversum grassabatur. Corquera longè impar viribus, at Marcello fretus; qui vexillo Christi effigiem Crucifixi, à barbaris violatam & impiè mutilatam præferbat cum sua Xaverii icone: vexillo utramque suspensam, & signum pignusque victoriæ. Post urbem, quam vallo fossaque septam, & omni instrumento bellico paratissimam bis-mille præfidiarii tuebantur, à septuagenis captam militibus Christianis; arcem, in arduo sitam, quam tyrannus ipse lectissimis succinctus copiis infederat, & difficultate locorum & operum munitione centena hostium millia provocantem, Gubernator Manilensis in prærupti montis jugum per invias cautes eluctatus, exiguâ Hispanorum Indorumque manu, sed magni instar agminis obtinente & agente vexillifero, oppugnavit. At muralibus interim ex arce hostili fulminantibus tormentis occubuerat, nisi globum involantem Xaverius detorsisset, Marcello teste idoneo: qui pilam majore excussam machinâ sic ipse pectore excepit, ut leviter discissâ tunicâ innoxiam decidere ad pedes viderit. Xaverianæ ab imaginis variatione, jam tristes, jam lætos colores induente, & publicè & privatim sibi suisque discere eventus rerum solitus, inde momenta victoriæ collegit; quam plenam, omnibusque expletam numeris victoriam non solum de Mindanao, verum etiam de Tartareo tyranno fortissimè felicissimeq; reportavit.

Jam principem hunc ducemque sceleratorum, bonos odio capitali belloque assiduo fatigantem. præclarè multis in locis palamque supererat: in Europâ ex corporibus infessis vexatorem importunissimum ac teterrimum admotis Xaverii reliquiis ejecerat; in navi, quâ Indiam petens classarios omni pietatis genere exercebat, vaserrimum pertur-



batores, terroribus omnia miscentem, sacris carminibus abegerat; in eadem navigatione grassatorem nefarium acerbissimis casibus per se, perque homines improbos calumniis atrocissimè invadentem, Patroni sui exemplo auxilioque contempserat & profligarat: nunc in hac Mindanaensi expeditione, multa ad eam avertendam molitum variis artibus & tempestatibus, eodem animo praesidioque debellavit. Fremebat per Mindanai lucos tenebricosus praedo saeva in Marcellum vociferatione, dum hic se acerrima flagellatione cruentaret, ut Christianorum militum sanguinem suo redimeret, difficillimamque ab Exercituum Domino eliceret victoriam. Horrendum in modum audiebatur sancto advenæ, Religionis instauratori, necem minitans; quam frustra inferre conatus in hac ipsa insula, in Japonia demum crudelissimam offerre est permisus. Verum antea Mastrillus victoriam, cujus & sponzor & autor suâ apud vindicem perfidiæ Christum, communemque Patronam Deiparam & Indicum Apostolum gratiâ celebratur; victoriam tantam, quæ paucorum tamen cæde Christianorum constiterat, sic idem persequitur fauciorum animis corporibusque curandis, & Xaverii adhibitis reliquiis medicamenta roborans & consecrans; ut, tametsi gravissimis permulti vulneribus affecti jacerent, nonnulli sagittis etiam venenatis confixi; omnes quos attrectavit, convaluerint. Quod ipse praedixerat, chirurgi manibus, antequam is tractare ægros cœpisset, comprehensis arcanam vim infundens; nulli ex militibus in nosocomio decumbentibus, qui medicinam admitteret, exitiosam plagam fore. Ac medicus inexpectato successu attonitus, cum alta foedaque vulnera cerneret præter omnem experientiam coeuntia,

*Non hæc humanis opibus, non arte magistrâ*  
evenire; majorem agere vim, manifestumque miraculum testabatur.

Tot illa virtutum ac meritorum signa & decora, nimirum amoris nova vincula, Manilæ Prætorem, optimates populumque Marcello adstringebant; ut propriâ ac perpetuâ exoptarent frui, quâ tantisper, dum Japoniæ via aperiretur,



riretur, usi erant præsentia. Rupit illos tamen suaves pi-  
osque nexus amor generosus Sebastiani Corquera: sum-  
maque cautione & dissimulatione, ut poscebat tempus, fi-  
dem præstitit Mastrillo, promissa perfecit; navigium,  
ceteraque necessaria studiosè largeque suppeditavit. Pro-  
cellis quidem obstetit sævissimis demon trajicienti infestus;  
dique jactatum prohibere aditu Japoniæ voluit, ne, cui  
incubabat, imperio exigeretur per Apostolici viri adven-  
tum. Sed vocante & ducente Xaverio tandem ad longissimæ  
peregrinationis metam pervenit; & ad Saxumanam oram,  
quam olim primam Xaverius tetigerat, appulit. Fortunatas  
sibi insulas Marcellus tenere vius, remisso navigio, in  
silvam sese abdidit cum Japonæ Christiano ex Philippinis  
secum profecto; noctu iter facturus Meacum, ut supersti-  
tionem in arce sua adoriretur; caputque ipsum petens, Im-  
peratori ad Christum adducendo navaret operam.

Verùm enimvero cùm agnitus in littore alienigena fuisset; à militari manu requisitus deprehensusque est, sed con-  
templationi affixus, ore ardens, tantamque spirans maje-  
statem, ut eum, quamvis feroces ac barbari lictores, com-  
prehendere ausi non sint, nisi volentem, & serenâ fronte  
blandaque voce invitantem. Tum hi vincula quidem, ut  
erant jussi, innexerunt, non sine aliqua tamen observan-  
tia, quam sanè auxit coortus ingens terræ motus gravi cum  
incolarum terrore. Nangazachum ductus, urbem primi-  
tiis Martyrum Japonicorum inclytam sacramque, sistitur  
gubernatoribus innocentissimus reus; & viri sanctitatem  
indicante, qui caput ambiebat, splendore admirandus.  
Quo ex loco, qua de causa venisset in Japoniam, interro-  
gatus, placidè sedateque respondet, ex Italiâ se advenisse  
ad Christianam fidem prædicandam, missu ductuque sancti  
Francisci Xaverii; qui eam Japoniæ Religionem primus  
intulisset; quique vitâ licet functus mortali jam pridem ter-  
ris excesserit, in cœlo tamen ævum agat immortale, resq;  
humanas adhuc benignissimè curet, ac se Neapoli moribun-  
dum ad sanitatem extemplo revocarit. Mastrilli singularem  
modestiâ animiq; magnitudinè & dictis eminentem & factis  
admirati gubernatores, ipsū tamen, ut imperatoriæ legi ob-



téperarent, dignú alioquin misericordiâ rati & indulgentia, crudelissimis ex novo in Christianos planéque Tartareo invento pœnis addixerunt.

Immanissima genera illa suppliciorum, quibus excruciatu fuit Mastrillus, à me jam carmine descripta, hîc aliquantò distinctiùs explanabo. Divaricatus principio, pedibusque erectis suspensus, & narium tenus aquæ suppositæ immersus est; ac dum funis, ex quo pendebat, validè in gyros contortus laxatur & pondere ipso corporis rapidè revolvitur, ferè interceptâ animâ præfocatus. Eodem die scalis applicatus distentusque manualibus, ex supremo gradu ore supinato ad quadringentos aquæ ingestos calices hausit, spiritu ferme intercluso: mox tabula utrinque depressâ elisus, quâquâ patet via, eosdem reddidit cruore mistos. Semianimis traditus in custodiam, ubi ad sese rediit, apud tortores corporis excusavit imbecillitatem; animi fortitudine exuperantiâq; nova tormenta provocavit. Nec animosiùs omnes acerbitates laceffivit, quam pertulit constantiùs. Crebrò aquæ repetitos cruciatus per triduum sustinuit, quoad sibi ipsa modum crudelitas poneret, ne furori materies confectò penitùs corpore subtraheretur. Barbariem,

*Cùm sevit & cùm parcat, ex æquo malam*

expertus, posteaquam in carcere à suppliciis feriatu parumper virium aliquid recepit, ab illis tanquam induciis ad extremum fuit certamen revocatus. Latam verò sententiam necisque decretum gaudio tanto exceptit, ut suprema denuntianti lictori hoc unum dolere se dixerit, quod præmio nullo gratissimum posset felicissimumque nuntium remanerari. De mortis genere sciscitatus, in foveam sibi pendendum cùm audisset; id quidem supplicii obiturum se subiecit; non eo tamen, at gladio obiturum. Quod sibi destinatum lethi genus, & aliàs sæpe, & nuper Mindanaï prædixerat; ter collo etiam contacto significans, quot esset ictus gladii excepturus.

Proxima ante dictum supplicio diem nocte Marcellus, cùm ad rerum contemplationem divinarum in custodiæ angulum secessisset, excubias atque ipsos adeo gubernatores



ab excubiis accitos insolito viso obstupescit, sublimis à terra, lumine circumfusus. Nihilo tamen minùs postridie ad ultimum cruciatum producit, *spectaculum factus mundo & angelis & hominibus*; jumento impositus, seminudus, vix togulà ad genua pertinente. Manus colligatæ à tergo: humeris affixa diri suspendii sententia, ob aditam Japoniam promulgandæ legis Christianæ gratiâ, ac ne religionem ab Japonicis alienam placitis eloqueretur in via ad constitutum poenæ locum, freno os coerceretur ferreo, denticulis præacutis exasperato. Caput dimidium, rasum; dimidium, cum parte vultûs rubricâ tinctum. quod summum, atque in maleficos adhiberi solitum apud Japonas est ludibrii genus, vulgiquè maximè contumeliis obnoxium. At populus non modò præter consuetudinem ab omni protervia temperavit; sed alto silentio defixus ac stupens prætervehentem spectavit hominem, de quo mira permulta audierat; & quamvis dehonestato, hilari tamen ore pariter ac modesto suspicientem in cœlum. Quid institores Lusitani? recens ex oppido Macao plurimi navibus sex advenierant. Non illi à lacrymis temperarunt, virum usquequaque illustrem ut indignissimè à barbaris vexatum conspexere. Quanquam verè beatum existimarunt, cui datum esset, Christi causâ ut torqueretur; atque eò beatiorem, quò foediora acerbioraque pateretur. Tali speciosiore deformitate, poenâ augustiorem, prout germanum ac præclarum Martyrem sunt venerati. Quos ipse, cùm aliter non posset, manibus revinctis, præcluso ore; quod reliquum erat, capite inclinato ter amicissimè salutavit.

Montem ad Martyrum, Sanctum jure cognominatum, illum tot Europæorum Japonumque, & religiosorum & aliorum omnis ordinis ætatisq; hominum tormentis consecratum, nec Golgothæ dissimilem, pervectus Mastrillus equo detrahitur: & ubi vocis libertatem recepit, ori murice exempto ferreo; tum gratias de comitatu gubernatoribus agens teneri cum affectûs significatione, adjecit, vi-furos nunc eos magnitudinem Dei Christianorum, pretiumque vitæ Christianis propositæ. Sed hujusmodi oratione præcisa ab iniquissimis iudicibus, & brutis hominibus Di-



vina haudquaquam percipientibus, festinè arctèq; circumvincitur à carnificibus toto corpore; atq; ex tigno suspensus, capite inverso subjectam in scrobem ad poplites usque demittitur, ac vivus sepelitur, tabulis hinc & illinc ad foveam obstruendam compactis, luce & aura exclusâ. Quanti sic pendentem excipiant dolores, non potest satis explicari, ne cogitari quidem; cum, præter cetera incommoda gravissima, loco suo emota convulsæque præcordiis viscera incumbant. Quietus ibi tamen immotusque hæsit quatrinduo Marcellus, perinde ac si lecto in mollissimo decumberet; prorsus ut iam extinctum opinarentur appositi custodes. Verùm afferibus, quibus fossa obducebatur, post longiusculum tempus diductis, & vivum repererunt, & ita sui compotem; ut cum ex eo, numquid aquam sibi ad potum afferri, unicum tanto in tormento solatium, vellet, quæsisset; nihil se petere ab ipsis responderit, nisi ut, quas hauriebat, delicias ne interpellarent; hoc solum optare se, ut quo esset statu, relinqueretur; sibi in fovea cælum adesse. Sollicitantes è turba nonnullos ad Christianismum ejurandum, abire contemptim jussit: gubernatores verò impiam defectionem suadentes rogavit, nefandis verbis abstinere; prius de suo solem cursu, quàm de proposito se decessurum.

Jam quartus exhibat dies pendenti Mastrillo; necdum extabat quidquam, unde augurari interitum carnifices possent, Immo nihil sanguinis tamdiu suspenso pronum in verticem defluerat: quod est numeratum omnino prodigium, nec prius in ullo spectatum; cum soleret aliis, ne ruentis vi sanguinis, perque os naresque exundantis, opprimerentur, vena capitis aperiri. Festam solennemque commentitio cuiuspiam numini suo Japones agere parabant lucem; quâ luce religioni habebant funestos exercere cruciatus. Ergo sub vesperam foveam extrahitur, gubernatorum jussu, plectendus capite Marcellus. Et is quidem, ubi se abstrahi tormento sensit, ægrè levamen ferebat; donec vocari se ad cædem intellexit, neq; alium dari ex atrocissima carnificinæ machina exitum, quàm lethum. Re cognitâ bene habere dixit; hanc sibi jamdiu sortem expectatam



adjiciens, eamque animo capiens voluptatem, quæ plurima in vultum ipsum redundaret: tametsi gravissimus accidebat expleto cruciatus cruciatus, dū suis dejecta sedibus viscera in proprium quæq; locum erigendo, quod inversum pendeat, corpore restituebantur. Stetit tortus torquentibus fortior (quod ait de Martyribus, Martyr ipse & disertissimus & fortissimus, Cyprianus: ) finem doloribus quem tormenta non dabant, corona dedit.

Pœnarum igitur omnium victor, ad desponsam usque ab Europa martyrii palmam pervenit Mastrillus; & custodibus de labore sibi impenso gratis comiter actis, in genua subsedit ad mortiferam plagam excipiendam: piaque læticia exultans, sub acie gladii bis exclamavit; *Pater mi Sancte Francisce Xaveri* (quas voces Lusitani excepere, qui ad Christiani Herois necem spectandam accurrerant.) Sive, ut erat illi usitatum, aspexit præsentissimum in summo discrimine Tutorem; sive contestans *d* (*quoniam fidelem credidit esse* comperitq; *eum qui repromiserat*) vitam se jam olim Neapolitano vulnere debitam, ferro Japonico reddere; ac plus ita demum perdenda, quam primùm servata debere. At iterum & tertio conservatum est caput sacrum, geminato hinc miraculo, nec nisi ipsius concessu Marcelli amputatum. Ictu carnifex vehementi post illa ad S. Fr. Xaverium verba incurvatum collum appetierat; sed ictu planè irritò acinacis licet acerrimi; cujusmodi est Japonicus, qui facile hominem dissecat medium, vel taurum etiam semel diffindat. Frustrationem suam indignatus minister barbaræ crudelitatis exercitissimus, ictum repetit nisu vehementiori, sed plagam perinde nulla, & levissimam tantum stricturam extimoq; rubore. Tum verò percussor, tanquam ipse percussus, & ictus fulmine cohorruit: nec sibi rem esse cum mortali ratus, telum abiecit; seu stupefacto atque exterrito delapsus ultro acinaces manu decidit. Non ille animum, non gladium recepisset; ni lenissimè ad eum conversus, qui flexis poplitibus quasi ad limen cœli, *e per sanguinem introiturus in Sancta aternâ redemptione inventa*, præstolabatur,

*d* Hebr. 11.

*e* Hebr. 9.



pavorem ejus minuisset; potestatem sui capitis fecisset; Quà potestate acceptâ, JESUM & MARIAM invocantis Mastrilli caput nullo negotio carnifex præcidit; at scelere tanto, ut capitis illapsu terra intremuerit, quemadmodum primâ viri Apostolici comprehensione moverat. Atque eodem tempore, & omni puro circum ac nitido coelo, foeda tetraque nubes uni gubernatorum curiæ, iniquitatis & crudelitatis officinæ, visa est imminere. Sic terra coelumque atrocissima nefariis impiisque hominibus facinora exprobrarunt, ac meritas utrinque poenas intenterunt.

Neque his tamen barbari tot ac tantis prodigiis fuere absterriti; quominus gladiis lictorum concisum, igni sanctum corpus injicerent, ut omnia suo furore elementa contaminarent. ingurgitatum, suspensum, infossum exulsere. Ita consumptus omnino Mastrillus gratissimum Deo immortali suavissimumque extitit holocaustum. Cujus acceptissimæ victimæ hoc quoque indicium fuit observatum, & à Lusitanis testatum prodigium; quod fumus ex igni quo deflagavit, assurgens, nullâ tunc spirantium ventorum vi difflatus, & inflexus, rectâ in coelum sese extulit.

Ad hunc finem, ad hunc gloriæ apicem, Mastrillum Providentia genuerat, virtus exercuerat, gratia reservarat. A salute per admirabilem Xaverii operam recuperatâ; oculis in se omnium converfis, expectatione summâ erectis animis, per continuam visionum, vaticinationum, miraculorum in Europa Asiaque seriem, ad oras mundi extremas perductus, illustre Xaverii tanquam complementum evasit, obito martyrio, quod unum defuisse Indiarum Apostolo videbatur. Verè hunc fecit Prophetam successorem post se novus Elias, & visis clarissimis, & disertis verbis; & fortuitâ epistolarum suarum apertione consimiles prælectis eventus ostendente, monitusque suggerente divinos; & imaginis suæ vario colore, jam adversa, jam secunda præcinente. Nec minùs in miraculorum facultatem veluti hereditariam vocatus fuit à tanto Prophetâ Mastrillus; nec verò ipse mirabilior donis gratuitis, quàm omni virtutum genere, aut Xaverio similior extitit.



Ac de virtutum quidem perpetua exercitatione complura strictim in hujus historiae decursu annotavi: sed insignis exempla modestiae nominatim & submissionis animi edidit, incensaque erga Deum proximumque charitatis. Quanto altius à Deo optimo maximo efferebatur, tanto humilius in se ipse subsidebat. Religiosae catervae secum ad Indiam tendentium sodalium praefectus, administrum se omnibus toto longissimae navigationis tempore ad mensam quotidie praebuit. Curam verò agrorum planè Xaverianam retulit; in Malacensi praesertim ac Mindanaensi nosocomio, cum vulneratis pugna diversâ militibus operam daret. Quid porrò dicam de illo patiendi ardore, quo se Marcellus Ignatii martyris cum Sancto Patrono suo æmulum gessit? *Ignis, crux, confractio ossium, membrorum divisio, & totius corporis contritio in me veniant; tantum ut Christo fruatur: con-* clambat pari animo; nec dispari certè perfunctus supplicio, & homines leonibus expertus immaniores. Tum denique *Indum se felicissimum*, ut appellare & subscribere literis solebat, persensit, ubi savitiam exhaustit omnem Japonicam.

Magni viri virtutes, quas indicavi, egregias persecutus est in primis Joannes Eusebius Nierembergus vitâ Hispanicè scriptâ, nec vulgaribus elogiis cum auctore suo exornatâ: laudes & beneficia, quæque à vivo, quæque à mortuo edita prodigia, Christianæ per orbem utrumque gentes concinunt. Necis quidem ejus palmariae, ut primùm est nuntiata, felicitas & gloria religioso magnificæ pietatis sensu Manilam, Macaum, Goam, Olyssiponem, Mantuam Carpetanorum, sed præcipuè Neapolin commovit. Quâ in urbe confestim à divinâ Mastrilli sanatione, Iconis mirificæ vel ab uno pictore exempla fuerant trecenta pervulgata; & ipsa peregrini Xaverii effigies pompâ solenni circumlata. Locus, in quo Xaverius Mastrillo apparuit, collocutus amicè propheticèq; fuit, deploratum ex ictu mortifero capitis servavit ad vitâ capite abscisso feliciter reddendam; locus ille jam cœlesti commercio sacer, pio ritu cultuque consecratus est: rerum inibi gestarum, & ab hoc fonte deductarum, picturâ decoratus, assiduè supplicum votis donisque Neapoli celebratur.



Ad hanc ego pulcherrimam nobilissimamque urbem ab excursione Indicâ me refero; non temere evagatus, at Successorem profecutus & Prophetæ & Apostoli Indiarum: à quo Spiritum Marcellus duplicem acceperat; cui sua accepta referebat decora omnia; cuius nomini & imagini, reliquiis ac meritis quæcunque ederet miracula, piè gratèque assignabat. Itaque non discessi ab Xaverio, dum Marcello me adjunxi, comitem individuum circumducenti, aut ducem potiùs insequenti Xaverium. Nunc à privata singularique magni Thaumaturgi in Mastrillum beneficentia ad munificentiam in commune expromptam venio, ad Neapolitanæ civitatis universæ liberationem à peste sævissima, præsentiq; exitio.

*Scriptus est in iudiciis temporum lenire iracundiam Domini Elias; ex Malachiæ f prophetiâ, sub extrema tempora & iudicia de seculis omnibus exercenda mittendus, gratiæ Divinæ reconciliator; qui justissimum Domini furorem conversione Israelitarû placabit, g & restituet omnia, ut iudex ipse loquitur Christus. Simili quodam pacto Xaverius poenas mitigavit ab irato Deo immissas, quæ iudicia sacris in litteris nonnunquam appellantur, supremi iudicis decreto irrogatæ. Portento multiplici calamitatem impendentem significavit; ac tacitâ, verùm spectatissimâ denuntiatione excitatis ad pietatem Neapolitanorum animis, urbi salutem amplissimæ restituit. Quod ego tamen beneficium tantum, exhibitamque publicè magnificentissimam gratulationem quoniam prolixè in poëmate celebravi, brevius hîc transigam.*

Neapoli, in templo Domûs Professæ Societatis JESU, imposita cernitur aræ Xaverianæ ipsius effigies Apostoli, coram Cœli Reginâ, Deum puellum gerente, Angelis circumfusâ, supplicantis. Quam Xaverii effigiem cum attentius intueretur quispiam, varias in ejus picta facie mutationes animadvertit: idque cum indicasset circumstantibus, idem ceteri pariter observarunt. atque hujuscemodi

f cap. 4. Ecce ego mittam vobis Eliam prophetam. ex LXX.  
Eliam Thesbiten. g Matth. 17.

spectaculum



spectaculum hebdomadas aliquot tenuit magno civium concursu, ac multi sermonis admirationisq; materiem præbuit. Quocirca Filomarinus Cardinalis, urbis Archiepiscopus, certos delegavit rei pervagatissimæ speculatores, viros graves fidèque dignissimos; qui rumorem non inanem & temere sparsum, at veritati planè consentaneum ex imaginis contemplatione accurata publico testimonio retulerunt. Vultum quippe compererant modò exalbescere quasi ex timore vehementi; modò tanquam irâ excandescere: tum sudore veluti ex labore gravissimo fluere: jam risu lætitiâ imitari; postea supplices oculos in cœlum etigere, ac statim deprimere in terram, non sine quodam mœroris sensu & repentina lacrymarum vi.

*Quantum est, tabula quod lacrymat, malum!*

Luctuosum videlicet aliquid urbi impendere solliciti & anxii facillè interpretabantur Neapolitani. ac tantò major ex præfagâ icone stupor existebat, quod istæ colorum vices atq; oris conformationes variæ etiam obtento velo eminebant. Nec longâ expectatione vulgus suspensum hæsit. Augurium brevi subsecuta exposuit dira pestilentia, quæ urbem celeberrimam & florentissimam, miserè desolatam funestavit.

In ea calamitate, minacis illius portenti recens adhuc memoria plurimos, in iisque primores civitatis excitavit ad remedium inde petendum, unde indicium acerbissimi casûs acceperant. Et altè infederat omnium animis, debitâ cum fiducia, species illa Xaverii Sospitatoris. ante annos viginti in eadem urbe moribundo Mastrillo oblata. & hac ipsâ Divi Peregrini specie mirificâ (quæ crebris, ut supra dixi, tabellis expressa fuerat) hac, inquam, icone Xaverianâ permulti, cum eam jam peste icti mortiferis admovissent anthracibus, pestem uno contactu mortemque depulerunt; integram subitò perfectamque sanitatem receperunt, nec semel etiam renovatâ Coelestis Medici visione. Alii cum tetros incensosque bubones oleo unxissent accersito ex lampade facellum illustrante Xaverianum, a gritudinem penitus absterferunt. alii precatione merâ, aut votò aliquo benignissimi Thaumaturgi nomen opemq; cum in-



vocassent, ab extremo vitæ discrimine ad priorem omnino valetudinem, sensibus vix ipsi suis latissimoque experimento credentes, confestim redierunt. Quorum extant miraculorum omnium juridicæ tabulæ; atque ab optimæ notæ viris, & ab Episcopis data nonnulla consignataque testimonia.

Enituerat jam olim, quæ in omnes partes fundebatur, circa peste affectos nominatim eximia charitas Indici Apostoli: qui bis in eorum obsequium salutemque devoverat sese, ingenti corporum animorumque fructu. Nec minùs ejusdem claruerat potentia Thaumaturgi; cum & vivus præsentia suâ Manarâm insulam à pestilentia liberavit; & mortuus appulsu corporis incorrupti à sævissima lue urbem Malacam, ut suo loco est notatum, eripuit; & invocatus à Bononiensibus civitatem, quam hospitio dignatus Evangelicis quoque laboribus excoluerat, atrocissimâ contagione perpurgavit. Hisce nimirum exemplis alliciebantur Neapolitani generatim ad Xaverii misericordiam in clade sua funestissima implorandam: sed accedente Imaginis Propheticæ monitu & prodigio; tum novis privatim acceptis, ingentique famâ promulgatis beneficiis & miraculis, accensa magis magisque studia fuerunt publica ad Indiarum Apostolum Neapoli adsciscendum Patronum.

Nec sibi populoque commisso defuere Magistratus, delicti rerum, ad civitatis afflictæ & prostratæ valetudinem pertinentium, summa cum autoritate administratores. Hi victis ac deficientibus terrenis auxiliis ad cœlestia conversi, post Divinam rem in honorem magni Indiarum Apostoli splendide factam, oblatamque cereorum copiam in æde Societatis (quod ad ejusdem Societatis Præpositum Generalem iidem scripserunt *Præfecti sanitatis*, ut vocantur;) S. Franciscum Xaverium, cujus expertum sibi constanter salutare patrociniū ornatissimis litteris testabantur, decimo solennique ritu Patronum urbis & Protectorem allegandum se curaturos, publicè totius civitatis nomine spoponderunt. Cui voto hunc adjecerunt cumulum, ut Xenodochium fundandum promitterent, ubi quidquid esset in urbe pauperum, communi sumptu aleretur: idque receptaculum &



asylum egestatis, Divo Januario, primo & antiquissimo Neapolitanorum Patrono; & alteri Patrono præcipuo, iam designatione votivâ cooptato, Sancto Francisco Xaverio simul consecrarunt. Ac subinde sacram Apostoli statuam ad palatium Archiepiscopale translatam festo cum apparatu collocarunt in sacello, quem Thesaurum appellant, ubi Patronorum simulacra sanctaque lipsana religiosè custodiuntur.

Quod votum quàm ratum Deo, quàm Xaverio gratum extiterit, præsens gratia mercesque demonstravit. Ipse illo die, quo votum editum, signumque Xaverianum in sacrorum thesauro positum, quotquot in *Lazareto* ex pestilenti morbo laborabant, ad quadringentos extemplo omnes convalescunt. Haud dubia mali tam luctuosi decessio gratulationem auxit debitam Apostolo; effecitque, ut studiis flagrantibus apud Apostolicam Sedem agendo instandoque Neapolitani decretum elicerent Pontificium; quo Patronus urbis, cuius agnoscebatur liberator, D. Franciscus Xaverius pro merito suo rite sanciretur. Neque studiosius illud expetitur diploma, quàm jucundius est acceptum; nec religiosius Apostoli Indici, quàm magnificentius in Patronum cooptatio celebrata.

Octiduum implevit ea celebritas, urbe totâ partim ad speciem triumphi, partim in templi formâ cultu latissimo exquisitissimoque compositâ. Machinas & pompas, conciones & supplicationes, festos ignes & nocturnos lampadum fulgores; crebra & varia dona, lychnorum præsertim argenteorum, coronarumque insignium; per ampla vexilla, sericisque & auro vibrantia, novem & viginti, quot nempe regiones urbis numerantur, à decurionibus novo Patrono oblata, cum hac inscriptione, *Ob urbem à peste servatam*, publica pietas instruxit, congeffit, explicuit. Sed amplissimum omnium, & picturâ signum ceterisque ornamentis clarissimum ii, quos laudavi modò, salutis urbanæ Curatores Liberatori Thaumaturgo dicarunt, appendendum templo Societatis perenne Xaveriani beneficii gratæque & addictæ civitatis monumentum. Sacri civilisque ordinis, & togati & militaris, certatim effusa maximo cum splendore officia;



Cardinalis Archiepiscopi, Proregis, Magistratum, ac Procerum aliorum; nobilitatis demum universæ, cum facibus ordine longissimo procedentis, & concurrentis undique populi, circumgestato Sancti Patroni simulacro, inter latissimos æris pulsu templorum omnium concentus, Protectori Xaverio Assertorique resonantes, majori nunquam & feliciori conspiratione animorum. Quæ calamitatis cum prosperitate, moestitiæ cum latitia commutatio, haud minùs certè accidit miranda, quàm illa Xaverianæ vicissitudo imaginis, quæ priùs istam adumbrarat. Immortalis autem beneficii, quo Neapolin Xaverius, voti quo se Neapolis obligavit, anno millesimo sexcentesimo quinquagesimo sexto, memoria quotannis celebrataque recolitur ipso Divi Francisci Xaverii festo die; ac tanto Patrono solenne religionis quasi vectigal magnificè persolvitur.

Sed jam de Xaverianâ in terris gloriâ satis multa pro instituto; pro rei amplitudine, pauca. Duo solùm attexi necesse est Romanorum decreta Pontificum: quorum alter, scilicet Alexander VII. Officio Xaverium Ecclesiastico decoravit, insignique elogio ad statam ejus in Martyrologio commemorationem. Quod elogium reliquis in III. Nonas Decembres incidentibus Divorum appellationibus præponendum, ex autoritate etiam Sac. Rit. Congregationis, & à me notatû ex parte in Præfatione, hic opportunè representabitur integrum. *In Sanciano, Sinarum insula, S. Francisci Xaverii è Societate JESU, Indiarum Apostoli, multitudine infidelium quos convertit ad Christum, & magnitudine miraculorum, præsertim in suscitandis mortuis, & spiritu Prophetiæ toto orbe conspicui: qui confectus laboribus pro Fide susceptis, plenus meritis, obdormivit in Domino die secunda Decembris. ejus tamen festum jussu Alexandri VII. hac die celebratur ( quoniam superior à S. Bibiana occupatur Virgine & Martyre perantiquâ. )* Summus alter Pontifex, Officii ratione Ecclesiastici de S. Fr. Xaverio bene meritus, Clemens X. ritum illi *duplicem* constituit, ac *missam propriam* & perhonorificam, planeque Apostolicam.

Hisce Pontificum maximorum decretis, quæ omittere non licuit, locus ipse admonet ut Archiepiscoporum item



duorū præclara facta subjungam; quæ profectò haud tacere convenit, vel pietatis in Xaverium, vel benignitatis in Societatem egregia monumenta. præsertim, cum Xaveriani honoris partem aliquam, præteritam ab encomiorum Xaverianorum scriptoribus, à me potissimum hîc suppleri deceat, testimonioque consignari. Id enim laudationibus in variis Apostoli Indiarum animadverti; cum templa per multa Xaverio inscripta, nec modò Neapoli, Panormi, Messanæ, Genuæ, Pompeiopoli, Tridenti, Romæ, Lutetiæ, aliisque in urbibus primariis, sed etiam mediocribus in oppidis extructa recenserentur, Burdigalensis templi mentionem extare nullam: quod utiq; non prætermissum oportuit, sive dignitas urbis attenderetur, sive ædis antiquitas. Namque, ut Aquitaniæ Metropoli commendanda superseadam, de quâ, sicuti ille aiebat de Carthagine, silere melius puto, quàm parum dicere; Burdigalæ primùm, ex quo Sanctorum albo fuit Xaverius adscriptus, ædes ipsius nomini excitata fuit, ante annum seculi decurrentis quartum & vicesimum: quo quidem tempore vix usquam alibi erat is honos habitus recens consecrato Indiarum Apostolo.

Templum hoc Societatis Professæ, domiciliumque in arce Galliæ Aquitanæ designatum, augusto sanctoque nomini Xaverii dedicatum, quàm libens audivit! quàm lætus promovit, Joannes Jaubertus Barractus, Vasatensis tunc Episcopus, Arelatensis postmodum Archiepiscopus & Princeps! vir sanguine perillustis, & quod caput est, virtute inclytus atq; eruditione; qui famosum opus Petri Molinæi, Calvinianæ sectæ ministri, *Clypeum Fidei* perfregit libro doctissimo, ac comminuit. Quem Præsulem sapientissimus Pontifex ultro sacra purpurâ dignissimum pronuntiavit; & si nominaretur ac proponeretur ad eminentissimam dignitatem, non iturum pilei Cardinalitii gestatorem, sed volaturum. Atque hic vir tantus Domui Xaverianæ, & consilio & auxilio, & autoritate & liberalitate favit impensè. cumque Apostolicas ejus Litteras suis recudi sumptibus Latinè versas, & Gallicè vertendas publicandasque omnes collectionis Tursellinianæ curasset; eidem illi primæ Xaverio consecratarum in Europa Domorum, non tantùm suarum



testamento legavit copiosam exquisitamque Bibliothecam, verum etiam corpus tradidit. quod utrunque Antistitis beneficentissimi donum, ab ipso provisis ac supererogatis impensis, ex urbe Arelate Burdigalam est deportatum. Et luculentè probavit, quod creditur vulgò, teste Plinio iuniorè, Testamentum hominum speculum esse morum. Quanta supremis in tabulis, præter aliarum virtutum notas insignes, modestia & animi submissio! Funeris pompam omnem vetuit: ad templi limen condi se iussit; vulgari saxo, æquato pavimento inferni: ac publicani, longè stantis, voces ori suo adscribi, & manum pectori velut percutiendo ad-moveri. Sic Princeps ille Ecclesiæ, quod Imperatores olim Principibus Apostolorum, Indiarum Apostolo munus exhibere Janitoris voluit; & supplici humillimoque habitu, jacens ingredientiumque omnium pedibus conculcandus, templi Xaveriani aditum obtinere, gradu ad cœlestè æternumq; templum faciendo per hanc sui despicientiam, munificamq; in Xaverium pietatem.

Accessit in hanc eandem Xaverianam Domum pariter spectata beneficentia, & commemorabilis erga Indiarum Apostolum pietas Henrici Bethunii, Archiepiscopi Burdigalensis, à triennio defuncti, sed virtute sua gloriaque immortalis. Qui generis claritatem animi nobilitate superavit; & vitæ innocentiam, Fideiq; sinceræ studio, ac Divini verbi Apostolicè prædicandi perseverantiâ exornavit, quas gessit triplices infulas; ex alia in aliam sedem nullo ambitu suo translatus, Regum Christianissimorum providentiâ, quò plures ad urbes populosque, non *forma duntaxat gregis factus*, ut Petrus loquitur, sed & *Boni Pastoris*, perfectique Antistitis felicissimè pertineret. Cuius de gemino munere, Corde ipso cum Bibliotheca donato, & honorificentissimâ in templo Xaveriano concione panegyricâ in Apostolum Indiarum habitâ, versus aliquot meos huc adducam ex Poemate, quod ad magni Præfulis exequias productum, inscriptumq; est, Henrici Bethunii, Archiepiscopi Burdigalensis, Aquitanix Primatis Immortalitas.

*Splendida librorum omnigenum transcripta supellex;  
Et quæ donorum pars optima, nobile pignus,  
Namine Cor flagrans, totoque capacius orbe.*



\* \* \* \* \*

*Suscipit Eoæ domitor Xaverius oræ;  
Festa pio dudum eloquio per templa sonantis  
Henrici laudatus, & improba vertere corda  
Mirè animis atque arte valens, Pauloque secundus.  
Lætior hospitium cordi jam præbet amico,  
Depositumque ingens adyta in penetralia condit;  
Dum suprema dies redivivo corpore jungat  
Purpureum radiis, æternosque excitet ignes.*

Piâ, ut dixi, gravique oratione Ecclesiastes infulatus Divum Xaverium solenni ipse die coram amplissimo cœtu laudavit: ac mirificam in tractandis convertendisque animis prudentiam & solertiam, cum incensa charitate Apostoli conjunctam, ita prædicavit, ut majorem à Paulo exitisse in Ecclesia neminem disertè affirmaret.

Reliquos honores, sive ab Ecclesiasticis Politicisque Principibus, sive à populis nomini & memoriæ, reliquiis templisque Xaverii Thaumaturgi delatos, consecrari prorsus esset infinitum; cœlestes verò exponendos aggredi, sanè temerarium. Quanquam poëtice aliquid in hac parte audere non nefas existimavi. Nunc omnia Davidicis aliquot verbis complectar, cum sacro Vate concinens: *Mirificavit Dominus Sanctum suum; gloriâ & honore coronavit.* Quæ ipsa corona Xaverii novis quotidie accessionibus locupletatur, cum alienis quoque factis augeatur & meritis, quibus ille campum aperuit, materiem paravit, lumen accendit, vim spiritumque afflavit. A Christo *h* electus, à Christi Vicario missus, & positus, ut fructum afferret, ivit; *i* & crudis horridisque novalibus inspersa æternitatis beatæ semina, sudoribus, fletibus, & quanto licuit, sanguine irrigavit; lætissimos pinguiissimosque manipulos alacer & indefessus Domini operarius reportavit. *Et fructus ejus manet* (inquietabat Romano in Consistorio Cardinalis à Monte.)

h Joan. 15.

i Psal. 125.



*Illius enim fructus sunt tot millia hominum Catholicae Ecclesiae aggregata; tot illustrium virorum victoriae, qui in illis provinciis, in quibus Evangelium predicavit, pro fide tuenda sanguinem profuderunt, hodieque profundunt; constantia & patientia, qua innumeri confessores inter acerbissimas persecutiones fidem tuentur. Illos Xaverius epistolarum suarum, sed actionum magis perfectionumque Apostolicarum documentis adhuc instruit; motum & impetum sectatoribus imprimit suis; precibus à Deo Opt. Max. efficacissimis opem impetratam demittit assidue. Quamobrem, ut Paulus Philippenses ac Thessalonicenses, ita Mastrillum aliosque imitatores & alumnos suos, omnesque eorum curam & industriam conversos ad Christum, jure Xaverius coronam appellare gloriamque suam potest. Quanta igitur ea, quamque gloriosa corona, quae per se amplissima, tot accedente virorum insignium operam, continentique per secula ipsa labore, ex hae pretiosis quasi lapidibus, aut sideribus contextitur & illustratur!*

k Psal. 20.

l Apocal. 12.



CAPUT





## CAPUT VIII.

Iconi Quintædecimæ respondens.

*Xaverii Thaumaturgi beneficio*

*Ferdinandus Furstenbergius Episcopus ac Princeps  
Monasteriensis & Paderbornensis, ab extremo  
vitæ discrimine ad sanitatem revocatus, nuncu-  
pato de fundanda Basilica Xaveriana voto;*

*Ejusdem Indiarum Apostoli auspicio*

*Sacræ ad Sinarum Iaponumque salutem expeditioni  
census annuos benignè ampleque constituit.*

*Beati sunt, qui... in amicitia tua decorati  
sunt. Eccli. XLVIII.*

*Currus Israel & Auriga ejus.*

*IV. Reg. II. & XIII.*

**J**USTUM amicitiaæ pretium dixit, qui amicum a thesauro  
Sapiens comparavit. Si quidem vera fideiisque amicitia,

*2 Amicus fidelis, protectio fortis. qui autem invenit illum, in-  
venit thesaurum. Eccli. 6.*

Be



protectio est, bonorumque copiam omnium præbet. rebus in dubiis consilium expedit, in secundis gaudium amplificat, in adversis dolorem minuit; & si auxilium non potest, solatium exhibet. At inutilis plerumque amicitia mortalium gravissimis in casibus, & sæpe noxia accidit: in prosperis autem, vitiorum adjutrix, ministra corruptelarum, & odio capitalior efficitur. Nec verò decus amicis ex hujusmodi familiaritate aspergitur, sed ex contagione macula probrumque contrahitur. Unâ ex illa, quam virtus amicitiam conciliarit, gloria efflorescit; fructus ubertas percipitur. ac planè beati, qui necessitudine aliquâ sanctis viris consociantur; quorum sic ope gratiaque sustententur & foveantur, ut amorem sibi adjungant Divinum, cunctasque omnipotentis Numinis opes habeant ad usum promptas & propositas. Similitudo amicitiam, aut similitudinem amicitia parit. Quocirca probè piæque in Sanctos affecti, mores Patronorum student effingere; ac studiosos clientes ad sua ipsi exempla benignissimi patroni componunt, penitusque conformant. Et venenatis ferè muneribus cum inter se amor nequitiaæ conglutinet, quos coelestis interpres Raphael hostes animæ suæ vocat; ea necessariis perfecti divinique amici beneficia tribuunt, & largientes quæ deceant, & accipientes salute gloriaque impertiant.

Sic nimirum Elias amicitia suâ cum alios, tum maxime Elisæum decoravit, ac verè fortunatum præstitit, quem tanquam alterum se effecit, spiritu suo completum, Prophetia Theurgiaque insignitum. Nam quid ego illa commemorem, quæ tenuis hospitii ac jejuni victus præmia retulit Sareptanæ viduæ; cujus & inopiam extremam farina inconsumptâ, inexhausto oleo, durissimis temporibus sustinuit, & luctum redditâ filio vitâ summam in lætitiâ convertit? Nec verò ii tantum beati, qui viderunt Eliam, amicæque cum illo vixerunt; sed etiam (ut nonnulli interpretantur Doctores futurum præterito significatum, haud raro in sacris litteris exemplo) beati, qui visuri sunt aliquando reducem, amanterque cum eodem supremis temporibus acturi. Hac enim mutuâ benevolentia commune



periculum defendent, instantemque potentissimi Prophe-  
tæ inimicis perniciem à se propulsabunt; Judicis quoque  
occupatâ gratiâ Christi, cujus Præcursores hunc piâ de-  
meruerint observantia, Patronumque sibi compararint.

Age nunc, Xaverii amicitia quàm felix, quàm honorifica  
exitit! iis primùm, quibus olim frui cœlestis viri convictu  
& familiaritate contigit; ut Pereriæ, Aghiaro, Vellio; de  
quibus non uno loco memoravi: ut Petro Mascarenæ, Re-  
gio apud Summum Pontificem Legato, à quo Româ Xave-  
rius in Lusitaniam fuit deductus; ut Martino Alphonsi  
Sofæ, quem Regiæ classis Lusitanicæque in Oriente ditio-  
nis Prætores est comitatus; ut Joanni Castrio, Indiæ Pro-  
regi, cui multarum palmarum duci in supremo decretorio-  
que aternitatis certamine affuit. Et, quibus in locis versa-  
batur Xaverius, eundem sibi auxiliarium Christiani sub  
mortem omnes deposcebant; haud dubii, salutem sibi in-  
tuto esse locatam, si animam in Sancti Patris veluti fini  
deponerent. Nec singulos tantùm homines, sed & Indiam  
totam suis apud Deum immortalis promeritis Apostolus  
tuebatur & fortunabat. Quod Præfectus Indicæ navis,  
Olyssiponem appulsæ dixit, cùm vivere Patrem Francis-  
cum primo ac fausta omnia complexo nuntio attulisset  
Joanni III. Lusitanæ Regi. Neque aliter sensit de certissi-  
mo illo saluberrimoque præsidio pius ac sapiens Rex; qui  
& Proregem, & reliquos imperii ministros jusserat dicto  
esse audientes, quidquid ad Religionem sive inter Lusita-  
nos excolendam, sive ethnicos inter propagandam requi-  
reret Xaverius; ac quocunque vellet aut ipse proficisci,  
aut operas Evangelicas mittere, naves commeatusque ut  
abunde suppeditarentur, edixerat. Ubi verò Princeps  
optimus tanti mortem viri accepit, ingemuit scilicet In-  
diæ Lusitanicæque, velut communi parente orbatis.

At eandem propè tutelam à morte Xaverius, & aliquâ  
ex parte firmiorem jam potentior in cœlo, curamque fi-  
delissimam Lusitanicis Indicisque rebus impendit; ac bene-  
ficentiam consimilem affluentiam miraculorum & perenni-  
tate contulit. Vel trium, quos paulò antè nominavi, in-  
fistorum subeat recordatio; quibus & navium fortunarum-



que securitatem, & mortis prænotionem conditionemque felicissimam præstitit. Verissimè hoc universèque amicitia Xaverii perfecit, quod gloriosè Tullianus iactabat Lælius; ut egentes abundarent, imbecilles valerent, mortui viverent. Quot ærumnosi, quot periculose ægrotantes, quot moribundi, quot jam exanimati, posthuma Xaverii dona & prodigia persenserunt, facultatibus, membris, corpore animaque restitutis! Non solum ipse beatus Xaverius est, sed eos quoque reddit beatos, quos amicitia completitur. Quanquam non in homines tantum sibi coniunctos, verum etiam in alienos, cum nullo discrimine proximos haberet omnes, profusa Thaumaturgi charitas fuit: neque eos duntaxat, quibus ætatis consortium locique opportunitas præsentiam Magni Patris obtulit, & os illud suavissimum plenumque sanctæ majestatis ante oculos posuit, sed etiam regionum tractu diffitos, olim dum viveret, ac seculo ipso posteriores, in partem felicitatis vocavit. De civitate modò Neapolitana (quod exemplum possit unum instar esse omnium) deque Mastrillo apud Xaverium gratioso narravi. Quantis ex miseris illa erepta! quantis hic bonis honestatus est, *Indus felicissimus*, qualem se agnoscebat ipse, & prædicabat! Recentia quidem ista, & in conspectu propemodum sita loco excelso & illustri: sed recentius occurrit beneficium, sanè Thaumaturgo dignum, & variis adjunctis spectabile, cumque hac mea commutatione rerum Xaverianarum opus coniunctissimum.

Ferdinandus, stirpem si quæris, Furstenbergius; si dignitatem, Episcopus ac Princeps Monasteriensis & Paderbornensis: si merita; pietate, sapientiâ & politicâ & litterariâ, benignitate & munificentia, ceterisque virtutibus, Ecclesiæ Imperiique lumen & ornamentum; D. Francisci Xaverii ope ac patrocinio multa se magnaque à Deo beneficia accepisse profiteretur, in Missionis ad Indias Orientales, seu Sinas & Japonas, fundatæ instrumento. Eundem Indiarum Apostolum, singularem Patronum suum appellat in litteris ad Pontif. Max. Innocentium XI. ad P. Ferdinandum Verbiestum, apud Sinas Societatis JESU Vice-Proprietary, ad Patres Delegatos ex universa Socie-



tate, & Romæ ad eligendū Præpositum Generalem Congregatos. Præcipua, credo, munera illius, quem in se beneficentissimum hiſce litterarum monumentis sæpe testatur; dona quædam arcana & intima, ad æternæ salutis Christianæque perfectionis rationem facientia, generatim indicavit, non explicuit: nec fortasse explicare satis potuit, vel præ modestiâ, ne suâ cum laude nimiâ communicarentur; vel ex rerum ipsarum, quibus ornatus erat, cœlestium divinarumque præstantiâ. Externum verò & insigne beneficium restituta haud dubio miraculo valetudinis, grati piisque animi luculento perenni; testimonio ad posteritatis memoriam & congratulationem religiosissimus Princeps consignavit, fundatâ & Missione Orientali, de quâ mox, & Basilicâ Xaverianâ; cujus occasione duplex hoc à me susceptum est opus, ad partem ornatûs aliquam in templum Xaverianum, Xaverii ipsius tabulis poetice, historicè, Theologicè pictis & collustratis pro mea tenuitate conferendam.

Quonam Divinæ Providentiæ consilio factum dicam, ut qui Princeps lætissima omnia pro suis egregiis virtutibus rebusque præclare gestis mereretur, frequentibus incommodis morborum acerbissimisque doloribus fuerit conflictatus? non temere profecto, sed altâ & certâ, quamvis occultâ ratione, bonis mala accidunt; ut observavi, cum agerem de adversis quasi casibus, in quibus Paulum Xaveriumque non fortuna, at illa verè domina rerum & moderatrix Providentia exercuit. Quod utique, menti errorum tenebris non cœcata haud ignotum & obscurum, apertissimè clarissimeque docuit ipsa de cœlo delapsa spectatâque in terris Sapientia; cœcitatem, ac perinde alias corporis vexationes innocenti viro evenire nonnunquam, *b ut manifestentur opera Dei in illo.* Opportunam ingenti exaggeratoque animo Ferdinandi segetem ac materiam suggestit constantiæ ac religionis; quâ, cum amplissimis honoribus emineret inter homines, sanctè integrèque summo se humanæ sortis Arbitro submissum & obsequentem exhiberet; Indiarum Apostoli gloriæ, salutiq; gentium, splendide fenerato beneficio, deserviret.

b Joann. 9.



Nunquam excelsior Princeps apparuit, quàm cum gravissimè decumberet: jamque depositus, jam deploratus, fragilitatis humanæ pariter supremæque virtutis documentum edidit immortale. Ita piè sapienterque cuncta disponebat; ita fortiter ac tranquillè mortem expectabat! Nec longè scilicet ab ultimâ aberat linea, & inevitabili consumptis victisq; medicorum artibus necessitate. Scripsit hoc idem, qui superiora, testis locupletissimus, vir perillustis; eo, quo scriberet, die magnum illum Principem vesperi nullum futurum. Et actum erat, nisi voto vitam redemisset. Thaumaturgum Xaverium invocavit, pacto, si convalesceret, templo; sensit illico Thaumaturgum.

In laudibus Eliæ numeratur, quòd *dejecit Reges ad perniciem, & gloriosos de lecto suo*. Ochoziæ quidem ægrotanti mortem coràm denuntiavit. Principem Elias impium dejecit; piium Xaverius Principem excitavit. Tum certè merito suo Ferdinandus probavit, quod à Sapiente pronunciatum est: *c Amicus fidelis, medicamentum vitæ & immortalitatis*. Nimirum Apostolum sibi cum aliis virtutibus eximiis, tum incenso nominatim Fidei propagandæ studio amicum paraverat Ferdinandus: & salute curanda animorum salutem promeruit corporis; ac mortis, quam nulli hominum proflus effugere licet, dilationem, adeptionemque gloriæ nunquam intermorituræ. Nec vocem item Sapientis negligenter jam sospes audivit, monentis, ut ne voti solutio differatur, sed Deo promissa quamprimum reddantur. Statim ab accepta gratia fidem suam liberavit; præsentis dono gratissimi animi sensum consecravit. Multas is quidem largitiones, & regali animo dignas fecerat, muneribus passim in homines eruditos per omnem Europam distributis; at potissimùm in eorum, qui se ab hæresi in sinum Ecclesiæ receperunt, honestam liberalemque sustentationem collatis; atque in nobilium, sed copiis domesticis parum ornatarum virginum, cœlestes nuptias intra Religiosa septa ambientium, dotem subministratis; publicè verò & in perpetuum decreto annuo censu ad crebras per totum ferè Septem-



trionem Apostolicas expeditiones. Unam tamen omnium ut remotissimam & amplissimam, ita benignissimo com-  
 meatu reddituque instruxit Missionem Orientalem. Multa  
 in regione universâ Paderbornensi Monumenta antiqui-  
 tatis Romanæ, Francicæ, Saxonicæ, pari doctrinâ & ma-  
 gnificentiâ statuerat, marmoreis cippis aureisque carmi-  
 nibus insignia: sed plurima & pulcherrima Antistes Prin-  
 cepsque Religioni Monumenta posuerat; templa, quæ par-  
 tim à fundamentis excitarat; partim labefactata, & quæ  
 belli furore disjecta, quæ fulmine percussa, quæ incendio  
 deformata, quæ vetustate collapsa, restituerat, exornarat,  
 ampliarat. Magnificentissimum denique, redditâ sibi salu-  
 te, pietatis suæ monumentum constituit Paderbornæ,  
 templum novum Academici Societatis Jesu Gymnasia, à  
 propatruo suo Theodoro Furstenbergio, urbis Episcopo  
 ac Principe fundati. Cujus in templi Xaveriani ædifica-  
 tionem Ferdinandus legitimis tabulis assignavit nummum  
 plus triginta millia; in fundamenta primum lapidem festo  
 cum apparatu suâ ipse manu jecit. Lapidis inscriptionem  
 ad verbum hîc subjicio.

D. O. M. S.

**F**ERDINANDVS Dei & Apostolicæ Sedis gra-  
 tia Episcopus Paderbornensis & Monasteriensis,  
 Burggravius Strombergensis, S. R. I. Princeps,  
 Comes Pyrmontanus, Dynasta in Borckeloo, &  
 Liber Baro de Furstenberg; Ad majus fidei ac pie-  
 tatis Catholicæ incrementum, & servata vita me-  
 moriam; hanc ad eum D. FRANCISCO XAVERIO  
 solemniter votam, suæ in Deum religionis, in S.  
 Indiarum Apostolorum gratitudinis, in Societatem



*IESV studii, in Collegium Theodorianum benevolentiae monumentum, primo lapide rite posito à fundamentis exstruere cœpit Anno salutis humanæ MDCLXXXII. Idibus Sextilibus, Pontificatus sui Paderborn. Anno XXII. Monasteriensis An. IV.*

Dignus enimvero, cuius tot sacræ passim ædes nomini inscriberentur, Xaverius; qui tot millia templorum per se suosque Numini Divino ad extremos usque fines terrarum cōstruxit, hodieque cōstruit: at viva mysticaque potissimum templa innumera condidit & instruere magis ac magis ubiq; gentium, sed apud Indias frequentissimè pergit. *d Tanquam lapides vivi, domus spiritualis: e superadificati super fundamentum Apostolorum & Prophetarum, ipso summo angulari lapide CHRISTO JESU: in quo omnis ædificatio cōstructa, crescit in templum sanctum in Domino.* Longè maximum ædium sanctarum, Evāgelicarumque missionum fundatorem, planè Apostolum & Prophetam Xaverium, quā potuit viā, secutus Ferdinandus *collaborat Evangelio.*

Gratum fuerit, opinor, sanctioris facundia specimen, adscriptum ex litteris ad Innocentium XI. datis à Ferdinando Kal. April. an. MDC. LXXXII. *In Ecclesiis atque provinciis curæ meæ commissis Christianam pietatem, ubi collapsa erat, instaurandam; & ubi vigeat, amplificandam suscepi. eoque consilio Religiosos aliquot, & Apostolicis virtutibus præditos sacerdotes, primum in Paderbornensi, deinde Monasteriensi Diœcesi cōstitui, qui pagos & oppida concursantes, quicquid in grege meo infirmum esset, consolidarent; quod ægrum, sanarent: & quod abiectum, recuarent. Quod ubi, Deo bene juvante, feliciter succedere comperi; patriæ quoque meæ, videlicet Vesp̄halie Diœcesi, idem beneficium præstiti. Deinde per vastas Septentrionis regionis diabolicā Lulberi fraude deceptas, Apostolicus Vicarius à Sanctitate Vestra creatus, oviculas Christi nondum eo contagio lesa servare, perditasque recuperare cogitavi: eoque præter expeditiones Aposto-*

*d I. Petr. 2.*

*Ephes. 2.*

*lucas*



licas modò memoratas, complures alias per universum ferè Septemtrionem, usque ad extrema glacialis Oceani littora fundavi: quem admodum Sanctitas Vestra ex addito schemate tabulisque cognoscere dignabitur.

Denique per litteras è Sinensi regno in Europam missas certior factus, ostium illic magnum apertum, nec adversarios multos, sed operarios nimis paucos esse; eoque immensam hominum multitudinem æternum perire: quod suprà memoratæ fundationes mihi ex facultatibus meis reliquum fecerant, in conversionem innumerabilium istic animarum impendi; atque octo Sacerdotibus ibi honestè alendis certum quotannis redditum donavi. atque ita universim institui qui decem Missiones, sex & triginta Missionariis commendatas, &c. Ad has verò sacras expeditiones cur Societatem JESU potissimum ex omnibus Religiosorum familiis in Ecclesia florentibus delegerit, causam Pontifici Maximo adducit, experientiam; quâ teste, & ipsius oraculo Sedis Apostolicæ, divinitus objectum Luthero aliorumque novissimorum hæreticorum colluvioni S. Ignatium cum instituta Societate intelligat; ex eademque Societate D. Xaverium, singularem beneficumque Patronum suum, ad convertendos ethnicos innumerabiles cum sodalibus & successoribus excitatum.

Quam rationem Societati JESU concreditarum hujusmodi expeditionum, latius edisserit Princeps honorificentissimâ ad Societatis Congregationem Generalem epistolâ; (quam Furstenbergianis libris nostris atteximus integrâ.) ubi, *Doctorem Gentium*, inquit, *hæc sua verba nobis inclamantem*; Quomodo credent ei, quem non audierunt? quomodo autem audient sine prædicante? quomodo vero prædicabunt, nisi mittantur? Et D. Franciscum Xaverium, singularem & beneficentissimum Patronum nostrum, desiderio prædicandi Sinis Evangelii magis, quàm vi morbi extinctum, eadem è cælo nobis ingeminantem audire visi sumus. eoque memoratis hisce quatuordecim sacris expeditionibus quintamdecimam Sinicam & Japonicam adjecimus &c.

In eandem sententiam scribere ad Ferdin. Verbiestum dignatus, ac testificari, Epistolæ ab eo ex ultimis Asiæ finibus in Europam missæ lectione sua tantopere commota



vilcera; ut ipsum, ait, *Indiarum Apostolum S. Xaverium*, singulari ac perbeneficum Patronum nostrum per te loquentem nobis audire ac intueri videremur.. hæc de auxilio in salutem animarum generatim implorato subjungit. *Quod nos non verbo, neque lingua, sed opere ac veritate præstare, tuæque coronæ aliquatenus participes fieri cupientes, offerimus Deo ac Redemptori nostro JESU CHRISTO, ejusque Matri semper Virgini absque macula Conceptæ, memorato S. Francisco Xaverio, tibi que, Venerabilis Pater, viginti quinque Imperialium millia toto loco posita; ex quorum annuo proventu octo Apostolici viri, Divini Evangelii præcones, in Sinico aut Japonico regno perpetuò sustententur: qui secundum leges atque statuta Societatis JESU, & conditiones huic nostro diplomati insertas, & ab eadem Societate approbatas, opus Dei operentur; & sicut tu, & unâ tecum in Evangelio laborantes, nullam ex amplissimo Sinensi agro messem in horreum Domini congregare nituntur.*

Sed plura ex iplo foundationis diplomate videntur mihi referenda. cujus in diplomatis exordio præfatus, Sapientiam æternam ex ore Altissimi prodeuntem, uterique illapsam beatissimæ & semper immaculatæ Virginis MARIE, attingentem à fine ad finem fortiter, & disponentem omnia suaviter, gentibus ad Orientem sitis per Apostolum suum Thomam ineffabili pietate verbum salutis misisse, tum  
 ,, ordine subjicit. Divinum istud verbum cùm infecutis  
 ,, tempestatibus Diabolus ab Indorum cordibus abstulisset,  
 ,, clementissimè id ipsis superiori seculo (eadem illa Sapientia)  
 ,, restituit prædicatione ac miraculis D. Francisci Xaverii  
 ,, verii magni Patroni ac Tutoris nostri: qui Fide Christianâ  
 ,, vastissimis illis regionibus invecitâ, primus ad extremos  
 ,, hominum Japones usque progressus, jacto illic Evangelii  
 ,, semine (quod postea tot millia SS. Martyrum & Confessorum  
 ,, protulit) in immensum Sinarum imperium, versutiâ Dæmonis  
 ,, omnibus externis clausum penetrare, eis que Christum aut  
 ,, sanguinem dare concupivit. Sed in iplo tantæ rei molimine,  
 ,, ac expetitæ tot votis provincie ferè conspectu, vir desideriorum  
 ,, ad æterna præmia evocatus, quod vivus efficere nequivit,  
 ,, jam cœlo receptus per sodales suos obtinuit.



„ illos ætate nostra vir nobilitate generis, & Apo-  
 „ stolica virtute clarissimus, Joannes Adamus Schall à Bell  
 „ è Soc. JESU Sacerdos, popularis atque cognatus  
 „ noster, maximè enituit, & Christianam Religionem per  
 „ annos sex & quadraginta iis in terris mirificè propaga-  
 „ vit: ita ut, aperto jam illic ostio magno, viri Apostolici  
 „ tantummodo desint, qui panem vitæ æternæ petentibus  
 „ parvulis frangant, atque tot animarum myriades è pote-  
 „ state tenebrarum erutas, in Dei lumen ac regnum felici-  
 „ ter transferant.

„ Quod gravissimis sanè verbis in epistola spiritu prorsus  
 „ Apostolico scripta, & ab Oriente in Occidentem missa,  
 „ deplorat venerabilis Ferdinandus Verbiest Societatis  
 „ JESU apud Sinas Vice-Provincialis: messemque in im-  
 „ mense illo imperio multam & copiosam albescere, opera-  
 „ rios verò paucos esse tantopere queritur; & opem Socio-  
 „ rum omniumque Christi fidelium tam miserabiliter ex-  
 „ postulat; ut bonorum omnium, litteras illas legentium,  
 „ animos acerbissima ista lamentatione vehementer com-  
 „ moveri necesse sit.

„ Quibus & nos incitati \*\*\* posteaquam complures in  
 „ hac mundi plaga Missiones, usque ad ultimas habitabiles  
 „ oras, approbante S. D. N. Innocentio XI. Pont. Max. qui  
 „ nobis, licet immeritis, sui & Apostolicæ Sedis Vicarii  
 „ Generalis munus per Septemtrionem obeundum, diplo-  
 „ mate X. Septembris an. M. DC. LXXX. dato injunxit,  
 „ fundavimus; ad extremum quoque Orientem, & in pri-  
 „ mis Sinarum ac Japonum regna bene juvanda opes no-  
 „ stras conferre, & perpetuam ibi octo è Societate JESU  
 „ Sacerdotum Missionem instituere, ac stabilire decrevimus:  
 „ ut Dei ac D. N. J. C. dominatio à mari usq; ad mare, & ab  
 „ ultimo Septemtrione usque ad terminos orbis terrarum  
 „ proferatur; ac filio Dei ab æterno Patre data heredi-  
 „ tas, à diaboli fraude atque rapinâ magis magisque vin-  
 „ dicetur.

„ Quapropter omnipotenti Deo, Patri misericordiarum  
 „ & Deo totius consolationis, qui consolatur nos in omni  
 „ tribulatione nostra; & anno proximè superiore nobis



„ atrocissimo morbo ad portas mortis adductis mirabili-  
 „ ter dedit sanitatem & vitam & benedictionem; ac Dei-  
 „ paræ semper-virgini MARIE absque macula Conceptæ,  
 „ supremæ apud Deum Patronæ nostræ; memoratisque san-  
 „ ctissimis Indiarum Apostolis offerimus, ac Missioni Sinensi  
 „ & Japonicæ largimur quinq; & viginti Imperialium dale-  
 „ rorum millia. ( Hic prolixas explicatasque tabulas rur-  
 „ sus aliquâ ex parte ut contraham, præter alia Ferdinandus  
 „ accuratè providet, solida ut pensio centum & viginti  
 „ quinque nummorum ad singulos perveniat Evangelicos  
 „ Sinarum aut Japonum cultores, nihil Apostoli exemplo  
 „ accipientes à gentibus. Neu qua inde pars decedat in  
 „ sumptus huic necessarios procurationi, aliunde stipendia  
 „ certis hominibus annua prospexit, ut infrâ testatur, in  
 „ „ fundatione Monasteriensis Missionis. ) Reliquum verò ex  
 „ „ tota pensionum summa, deductis collybi Olyssiponen-  
 „ „ sumptibus, in usum & incrementum hujus nostræ funda-  
 „ „ tionis impendatur, ac sorti quinque & viginti millium  
 „ „ dalerorum Imperialium accedat, ut ita assignatus his  
 „ „ Christi militibus proventus annuus processu temporis  
 „ „ augeatur.

„ „ Hanc vero expeditionem Apostolicam, ejusque re-  
 „ „ ditum Collegio Monasteriensi eâ lege & conditione ad-  
 „ „ jicimus & unimus; ut Præpositus Generalis Societ. JESU,  
 „ „ secundum laudabile ejusdem institutum, ex illo vel aliis  
 „ „ utriusque Germaniæ, vel totius Europæ Collegiis,  
 „ „ octo Sacerdotes Missionarios ad hoc Apostolicum  
 „ „ munus idoneos emittat; qui ex legibus ab Apostolica Sede  
 „ „ ac Societate de hujusmodi sacris expeditionibus latis, &  
 „ „ monitis S. Francisci Xaverii, per epistolas ejus toties  
 „ „ inculcatis, piè ac religiosè vivant; infideles Sinas & Ja-  
 „ „ pones sanctam legem nostram doceant, & veri Dei cul-  
 „ „ tum longè lateque per Indiam propagent \* \* \* \*  
 „ „ Omnino autem volumus, ut hic reditus alendis dictis  
 „ „ Missionariis donatus, in nullum alium, quantumvis bonum  
 „ „ usum, præterquam in hanc expeditionem Apostolicam  
 „ „ quomodolibet derivetur. super quo oneramus conscien-  
 „ „ tiam tam ipsorum Missionariorum, quàm Societatis JESU



„ Moderatorum , & aliorum , quorum curæ hæc commis-  
 „ fimus \* \* \*

„ Huius igitur in Divino nomine sic fundatæ expeditio-  
 „ nis Sinensis & Japonicæ , præter Pontificem Opt. Max.  
 „ & Generalem Societ. JESU Præpositum ( quos ut hanc  
 „ Missionem patrocínio ac favore suo complectantur & fo-  
 „ veant , per viscera misericordiæ Dei nostri obsecramus )  
 „ perpetuus in terris erit Protector Episcopus & Princeps  
 „ Monasteriensis ; Conservatores autem , seu Curatores ,  
 „ Suffraganeus noster \* \* \* \*

„ Postremò vehementer cupimus à sæpe dictis Missiona-  
 „ riis de statu hujus expeditionis fructuque laborum , data  
 „ scribendi occasione , ad nos & successores nostros iden-  
 „ tidem referri ; planè sperantes , aliquando futurum , ut  
 „ alii quoque Germaniæ Episcopi ac Principes , optatis de  
 „ felici , Deo bene juvante , Missionis Sinicæ ac Japonicæ  
 „ successu & sancti Evangelii incremento , nuntiis excitati ,  
 „ ad Religionem Christianam Deique gloriam usque & uf-  
 „ que amplificandam , pro facultatibus quisque suis & Di-  
 „ vini obsequii studio , longè plura ac majora Christianæ  
 „ charitatis officia miseris Indiarum populis Catholicâ fide  
 „ imbuendis exhibeant &c.

Sic magnificentissimo Principi non satis fuit , quod egit  
 per se ipse ; verùm & aliena præparavit Indis allicitque  
 beneficia. Longè ac latè prospiciens , quæ conceperat  
 egregia studia , in ceteros quoque optimates diffundere  
 studuit ac propagare. Omnium & nationum & seculorum  
 Principibus munificentiam planè regali prælucet Antistes  
 sapientissimus ac religiosissimus : idemque immortalium lit-  
 terarum faces hominibus admovet Apostolicis , quos opi-  
 bus suis , donis perennibus & præsiidiis instruit. Plura hoc  
 loco de Principis Celsissimi præclarè tum scriptis , tum  
 factis dicerem ; nisi hoc ipso tempore Furstenbergianorum  
 libros quatuor , omni laudum Ferdinandi genere abundan-  
 tes emitterem. Ad eos igitur orationem converto , quos ille  
 ad sperandum & audendum quasi signo aliquo sublato evo-  
 cat ; Divino tanquam classico excitatos inflammatosque  
 suis copiis armat ; & apertâ , quam egestas intercluserat ,



viâ ad extremos fines terrarum promovet, auspicio Ducis maximi, Patroni sui Tutorisque D. Francisci Xaverii.

Hic adeo *Currus Israel, & auriga eius*: quod ad Eliam primùm Elisæus, ad Elisæum deinde rex Joas succubabat. Quærit Augustinus in psalm. LXXXVI. *Quare sunt fundamenta Apostoli & Propheta?* respondet ipse: *quia eorum auctoritas portat infirmitatem nostram.* Simile quidpiam effari de curru mystico licet. Indiarum & Apostolus & Propheta, ope sua gratiaque apud omnipotentem Dominum valentissimâ infirmos subvehit sibi commissos: non modò, ut Auriga, dirigit clarissimis exemplis monitisque saluberrimis, Apostolico cœlestique Epistolarum volumine ad sempiternam operariorum Evangelicorum disciplinam consignatis. Mastrillo suo, ut alibi jam exposui, vota solita cum præiret, adderetque præcipuè *Apostolicam missionem Indicam*: hæc ipse, veluti præcentor auspexque divinus, gravissimi ponderis verba sub unxit; *Omnia intelligendo juxta ipsius Societatis constitutiones, & Decreta S. P. Francisci Xaverii de Indicâ expeditione edita.* Quod huic suo carissimo clienti præstitit coram Xaverius, & manifesta prodigiorum experientiâ; id ceteris ferè ad animarum conquestionem missis Apostolus, quoad necesse est, pro ratâ cuique portione præstat, miris, sed arcanis modis: occultoque veluti aurigans ductu, sectatores idem suos assiduo benignoque subsidio peramicè deportat.

Vas electionis Saulum Christus appellavit; qui salutare nomen Domini portaret gentibus & regibus. Instrumentum lectissimum aptissimumque fuit circumferendo JESU Xaverius amore suavissimi sanctissimique nominis geminus Ignatio, & Loiolæ suo, cui socius est aggregatus, & antiquissimo illi Antiochæno, quem Deiferum cognominarunt. Ecquis aut longiùs Francisco Xaverio aut celerius JESU nomen augustissimum, & salutem Deumque pertulit? Ipsos etiam, quibus Evangelii disseminandi partes crederet, sollicitudine patriâ & opitulatione præsentissimâ gestare Apostolus videbatur. *Sicut Aquila (quam ei similitudinem omnino congruere, altero præsertim capite demonstravimus) provocans ad volandum pullos suos, & super eos vo-*



THAUMATURGUS.

231

*litans, expandit alas suas, & assumpsit eum, atque portavit in humeris suis.* Neminem ferè ad opus Evangelicum in ullam destinavit regionem, quam non priùs ipse tentasset atque explorasset. labore suo mollitam, ac propè subactam humum secundariis operis tradebat: & quos in curæ partem vocaret, præceptis artibusque imbuebat ejusmodi, quæ rerum tractandarum, locorum populorumque adeundorum naturæ maximè convenirent. Usu diurno, cœlestique haustas commercio notiones sociis amantissimè infundebat. hodieque stat Indica expeditio primis illis Apostoli institutis servandis, & Xaverianis quasi vestigiis persequendis.

Quòd si ( ut Hebraïca fert sententia ) pro, Auriga, legimus; & equites ejus; hoc est ( quemadmodum Chaldaïca Paraphrasis explicat ) preces tuæ Israeli plus, quàm currus & equites, firmamenti & utilitatis afferebant: non unius certè viri vires animique in Xaverio eminebant. Solus agminis instar fortissimi & invictissimi Xaverius obtinebat. Quæ vis ejus in Badagas, in Tolanos, in Acenos extitit! Quântum in eo præsidii rebus Indicis Lusitanix rex constituebat! ut supra narravimus. Quid enimverò non efficeret is, qui, ut alicubi meditabar,

*Centum per populos, elementa per omnia regnum  
Explicuit?*

Gloriari cū Paulo in Domino licebat Xaverio. *Omnia possum in eo, qui me confortat.* Ea nimirum Deo fretus ad Divinam Fidem Indorum animis inserendam perfecit, quæ panè humanam fidem superarent. Sic ille veteres Apostolos est secutus, ut sit ipse Apostolicorum virorum, teste Urbano Pontifice, *f Dux Divinâ providentiâ constitutus... novarum gentium Apostolus.* Quot Evangelio inaccessas oras primus adiit, sociis aperuit! quàm pleno ac firmo gradu antecessit! quo laborum cursu Orientem illustravit! Ac ne prædicta, cum aliis locis, tum hoc ipso & proximè superiori capite, repetam; quantum ab hoc Duce in milites virtutis, industriæ, felicitatis profluxerit; ostendunt sanè eorum, qui

*f In Bulla Canoniz.*



ante Xaverii adventum fuerant in Indiis versati, raræ de Superstitione victoriæ, infelices Religionis angustia. Post arma verò Indiis à Xaverio illata ( *g non carnalia, sed potentia Deo ad destructionem munitiorum, consilia destruentes & omnem altitudinem extolentem se adversus scientiam Dei, & in captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi* ) innumeræ lemniscatæque palmæ ab Xaverianis Accensis relatæ, longè latèque prolata fines Ecclesiæ. Scilicet tanti esse exercitum, quanti imperatorem, verè proditum est. Quàm strenui! quàm Xaverio digni! quàm illi non absimiles Barzæi, Nunnii, Turriani, Silveriæ, Aquavivæ, Spinolæ, Mastrilli, tot alii triumphales viri! Ad illius exempla Ducis ita militiam vitamque exegerunt suam, ut ipsi in exemplis habeantur.

Sed evocatore[m] hominum generosorū, maximèq; Societati suæ adscriptorū, & hortatorè nunc quoq; audiamus Xaverium. *h Imitatores mei estote, sicut & ego Christi. i Observate eos, qui ita ambulant, sicut habetis formam nostram.* Atque ut ab ipso missionis capite ordiamur; nihil tergiversatur Xaverius, ut Moses cunctabundus, excusans, subterfugiens profectio[n]is Ægyptiacæ munus impositum à præsentè Domino, sive Angelo nomen vicemque Domini gerente. Procul ab omni timiditate, alacritatem potiùs Isaiaë reddit, *Ecce ego: mitte me.* idque tantum voluntatem Divinam significante Ignatio, Pontifice annuente. Prophetam suum Ezechielem Deus ad cape[n]dam, quam mandabat, provinciam acuens, gravitatem levat oneris, & facilitatem agendi proponit. *Non enim ad populum profundi sermonis & ignotæ linguæ tu mitteris, ad domum Israel; neque ad populos multos... quorum non possis audire sermones.* At Xaverius *k Legatus ad gentes missus est, non vultu magis, quàm vitâ discoloris; nec longinquitate ab Europæis disjunctiores, quàm barbarie: ad populos vocis commercio nullo sibi cognitos; apud quos & mutus foret & surdus, nisi miraculo multiplici Apostolicum donum subvenisset linguarum; de quo*

*g II. Corinth. 10.  
i Philip. 3.*

*h I. Corinth. 11.  
k Jerem. 43.*

alibi



alibi jam dixi. Neque, ut Moses, in terram vocabatur lacte & melle fluentem; sed in plagas, quæ æstu candentes, quæ rigentes glacie, horrentes crucibus, sanguine exundantes.

Ut expeditus in crastinam lucem apparuit; male-sartâ togâ, sacroque ad Ecclesiasticas preces libro sat instructus! Nihil se carni debere & sanguini putavit: / Eliamque ex hac etiam retulit parte, à consanguineorum nexu planè solutum & liberum; perinde ac Melchisedech, *m sine patre, sine matre, sine genealogia*. Ex abrupto quippe Elias inducitur, itidem ut sacerdos iste rex pacis & justitiæ: ac nisi *Thesbites de habitatoribus Galaad* appelletur, de cœlo repente delapsus videatur. Clarissimâ quidem stirpe oriundus erat Xaverius, & Reges ipsos Navarræos materno genere contingebat: verùm ita rationem habuit nullam cognatorum, quasi cognatos haberet nullos. Elisæo tamen, cùm Propheta initiaretur, domum regrediendi ad osculandos parentes veniam dedit Elias, quam *n* Christus in opus Evangelicum accito negavit, ad perfectiora discipulos informans. Semel ad aratrum immissâ adhibitæque manu, pedem non modò referre, sed vel oculos retorquere suscepta Divini regni procuratio vetat. Hujusmodi pium ac salutare domesticorum odium Xaverius, quod à Cœlesti Magistro didicerat, edocuit ipse insigni facto; cùm habendo in Lusitaniam itinere patriam præteriens, quamvis urgente Legato, cujus in comitatu erat, desistere tantulum de via recusavit ad valedicendum Matri (pater namq; diem obierat) à qua toto jam dividendus orbe abscederet. Sensûs humani mollitiem periculosam, non sibi; cui, quæ erat animi firmitate, nihil verendum occurreret: sed aliis cavuit Apostolus, *o* vocatis per gratiam ad evangelizandum in gentibus: exemplumque cum Paulo edidit non acquiescendi carni & sanguini. Quid, quòd beatus jam, certissimusque Indicæ peregrinationis dux & auspex, Mastrillum,

l III. Reg. 17.

m Hebr. 9.

n Luc. 9.

o Galat. 1.

G g



ut suo est notatum loco, in hæc verba tanquam sacramento adegit? *Abrenuntio parentibus &c.*

An verò minùs, quod alterum expeditioni sacræ impediendi moræque intervenire possit genus, præcidit ac sustulit, amorem curamque commodorum? Quâ suppellectili, quo apparatu, Româ discesserit, modò audisti. Paupertas illi pro viatico, pro ornamento fuit. Precario utebatur cibo, mendicato publicoque inopum hospitio. Etiam in summâ sæpe copia rerum, certatim ab amicis oblatâ & obtrusâ (quod jam aliquoties declaravi) egestatem prosequiebatur usquequaque, arctissimè complectebatur. Cetera corporis incommoda ferebat non patienter solùm, sed & libenter: nec alias terræ sensit delicias, quàm labores, quàm dolores. Nudâ humo, & durâ prorsus quiete per somnum brevissimum decumbebat; flagellis se ipse ferreis laniabat: omni vexationum generi arridebat.

Verùm, ut in iis hæream asperitatibus, quas ex historiæ sacrosanctæ monumentis usurpatas ab Elia novimus; affines Xaverianas, & si non eadem omnino specie consimiles aliquas, pares profectò, aut graviores agnoscamus. Melote Elias vestitus, zonâ pelliceâ accinctus incedebat: Xaverius vili & lacerâ tunicâ indutus; & quam piæ crudelitatis formam invenit; brachia, femora, crura funiculis ita devinxit obstrinxitque, ut carnes ipsas altè subirent: nec modum atrocissimo tormento sub ingressum duri prolixique itineris posuit stupenda in corpore cruciando pertinacia. Ac, nisi is, cui placendi studio Xaverius tam inusitatum supplicium, adeo immitem quæsitæ ex agilitate gloriolæ ultionem exquisierat, istiusmodi vincula Deus foedis acerbisque ulceribus opportuno subitoque per noctem sanatis miraculo dirupisset; nunquam Indias Apostolica Thaumaturgi vestigia impressissent.

Num potuit secum ipse acrius bellum gerere Xaverius, aut innocentibus virgineisq; membris acutiorem dolorem inurere? Præinctos virginitate lumbos gerebat (itidem ut Elias Elisæusque, ex Patrum sententia, nec obscuro animalium sacrorum indicio: ) & medium inter somnum cogitationi subobscoenæ repugnavit, usque ad sanguinem restitit.



Cor nempe illud purissimum, ac prius intenta custodiâ septum, vel inter somnia vigilabat; ab omni vel umbrâ libidinis abhorrebat. Tantum amor castitatis in perturbatam errantemque valuit phantasiam; quæ in officio tamen se continere solebat, & vivis rerum cœlestium imaginibus pias etiam in somnis voces identidem excitare! Contra nequitia spiritualia, quæ à Paulo dicuntur, contra vim insidiasque tenebrosorum hostium egregiè armato semperque invicto animo decertavit.

Mentis integritati suppetias ferebat, corporis illibatum florem tuebatur summa in victu temperantia, aut duritia potius austeritasque singularis. Pane, & quidem subcineritio interdum, victitabat Elias (quanquam & carnes aliquandiu corvi attulerunt) sitim aquâ simplici levabat. Xaverius interdixerat sibi (ut extat in officio Ecclesiastico) *non carnis solum & vini, sed panis quoque triticeï usu.* immò pane caruit sapissimè: & in Japonia iter Meacense perlongum, perque asperum pedes oryzâ afsâ toleravit. *Biduum subinde, triduumque omni prorsus alimento abstinebat.* Quin & diès quatuor, jam inde à primâ conversione ad Deum, inter ascetica partem cibi nullam attigit: & septem ipsos diès, ad ædem Thomæam peregrinans, continenti solidoque exhaustit jejunio. At quadragenos impastus omnino Elias traduxit! sanè, mirifico roboratus pane, qui esuriem summo veret, per Angelum ministrato. *Ambulavit in fortitudine cibi illius... usque ad montem Dei Horeb.* Morsus verò importunos acerbosque famis sensit cum Christo Xaverius; inedia aliquando propè enectus, jam voluntariâ, jam necessariâ; nisi quòd inopiam planè volens libensque incurerat. Fuit, fuit tamen quantumvis severo jejunio pastus nonnunquam difficilior molestiorque Xaverianus; nempe Venetiis, ad Manaram, alibi, ex hominum ulcerosorum, quod supra commemoratum est, sanie foedissimâ, ac vix oculis ferendâ, toto ore avidè petitus. Nec pauciores quadraginta diebus in Montè-Celso, Patavini agri vico, transegit, antequam daret se in publicam salutis alienæ procuracionem, desertæ casulæ immorans, atque omnibus se pœnis ultro excrucians, arcto in primis ac rigido je-



junio ; quod una contemplandi precandique assiduitas fervorque suavissimè temperabat.

Sed vita Xaverii solida, perpetui cujusdam jejunii speciem habuit ob parcitatem victus & tenuitatem, ne vilitatem dicam & insulsum. Sola asperrimam legem privatæ abstinentiæ consulta remittebat charitas, mensasque non refugiebat externas ingenuâ facilitate, amicorum invitatu, meliores utique epulas piis ac multâ conditis jucunditate sermonibus apparans hospitem animis. & mensas alienorum appetebat, ultroque convivam offerebat sese, & ingerebat hominibus improbis, aperta malorum suorum remedia averfantibus: quos insitâ comitate, miraque prudentiâ captabat, & salutari implicabat familiaritate, flagitiorum venena & impuræ pestiferæque consuetudinis illecebras nec-sentientibus lenissimè subtracturus. Tum Christi Salvatoris exemplo, convivia ineuntis publicanorum, & monitu discipulis dato, edebat quæ apponebantur, asperiori instituto vitæ dissimulato: ac secum ipse cum Divino Magistro Apostolus reputans, universaq; agendi ratione proloquens; *Meus cibus est, ut faciam voluntatem ejus qui misit me, ut perficiam opus ejus.* Cum eodem suo Domino Xaverius; ut Elias corvorum pascebatur ministerio; sic, ex Augustini interpretatione, peccatis antea denigratarum gentium conversione & fide reficiebatur.

Hæc nimirum studia paupertatis, castimoniam, abstinentiæ, mortificationisque perfectæ, necessaria viris ad salutem aliorum incumbentibus; ne magno suo periculo in tali tantoque negotio versentur, profanasque cum sacris curas commisceant & miserè confundant: at iisdem, præcipuè ut apti ex obedientia, ex Præpositorum voluntate nuruque suspensi agant, clarissima lumina Apostolus Indiarum ostendit. Calceatos esse Paulus pedes jubet præparatione Evangelii pacis; videlicet prompta expeditaque voluntate felicis nuntii, quo bona omnia pacis nomine ex Hebraica significatione continentur, in omnem partem efferendi. An non id habebat propositum; id Ecclesiæ animæque Apostolicæ sacro in Epithalamio Cœlestis canebat laudabatque Sponsus? *Quam pulchri sunt gressus tui in calcea-*



*mentis ! Quod excepisse atque explicasse Vates Evangelicus pari videtur exclamatione. Quàm pulchri super montes pedes annuntiantis & prædicantis pacem , annuntiantis bonum , prædicantis salutem !* Atque eandem faustam exclamationem, admirationem , gratulationem Apostolus Roman. c. x. refert verbis contractam , numero dilatatam. *Quàm speciosi pedes evangelizantium pacem , evangelizantium bona !* Majorem profectò in modum pulchri , spectabiles , mirabilesq; fuerunt Xaverii progressus , à montibus Romanis ad Indos venientis Apostolici Nuntii , *colles* incredibili pernecitate *transilientis* ; excelso loquendi præconio , ut alià dixit occasione Magnus Hilarius , pacem ac salutem nuntiantis , Divina bona prædicantis , jamque ex parte conferentis.

Est illud scitum Ambrosii de Sanctissima Virgine : *Quæ incessu affectuque venerabilis , non tam vestigium pedis tolleret , quàm gradum virtutis attolleret.* Virgini addictissimus Deiparæ cliens Xaverius , eà duce & auxiliariâ , non modò cum vincta exulcerataque funiculis membra sustinens , agere iter olim instituisset , in singulos gradus patientiam promovebat ; sed quovis loco & tempore , per arctam & asperam viam constantissimè procedens , assiduè omni virtute provehebatur. Maximè verò inter æstuantes Comorini plagas , sole imminente , arenosò solo , quàm pulchri ingressus , & calcibus sæpe nudis quàm miri discursus ! Inter Japonicas nives & glacies , rupes inter ac vepres , quàm speciosa viatoris Apostolici , tumefacta , congelata , lacera , cruenta vestigia ! Nunc quoque tanta ista vestigia non implentium quidem , at prementium certè , quàm speciosi Evangelicorum pedes cursorum , ingens amplumque stadium signo à certaminis præsidibus dato rite ingressorum ; legitimè , ut coronentur , certantium ! Sed parum est , stadium dicere ab Xaverio decursum : nec satis , Apostoli velocitatem cum Aquilâ , ut priùs , conferre. *Dominus...posuit me sicut sagittam electam.* Quæ Isaiaè verba posteriori Eliæ , Joanni Baptistæ aptavit Ecclesia : de se ipso Barnabaque Paulus hæc tacitè ; subsequèntia , ex hisque pendentia , disertè est interpretatus ; *Ecce dedi te in lucem gentium , ut sis*



*salus mea usque ad extremum terra: nos utraque ad Indiarum Apostolum commodè transferamus. Hoc scilicet Divinæ gloriæ telum, insigne delectu, formâ splendidum, vi acerrimum, innumera salutariaque hominum cordibus vulnera infixit, clarissimas infinitasque victorias Christianæ Religionis confecit. Hujus instar excussi vibratîque Divinâ manu teli, agè parati, expediti, celeres acresque, sacræ Missionis captatores, ab Heroe non degeneres filii; p sicut sagitta in manu potentis, q acuta, r lucida, s ardentes, ite, quò vos cunq; destinarit religioso magistratu interprete Deus; tenorem servate; ictum perferte. Sagitta Jonathæ nunquam rediit retrorsum.*

Factum Elisæi (quando hætenus Prophetæ istius mirifici cum Xaverio comparisonem sum persecutus) dictumque circa sagittas haud omittam. Morti jam proximus, cum sibi adstantem Joam jussisset asserre arcum & sagittas, arcuque manum imponere; *superposuit Elisæus manus suas manibus Regis: & ait; aperi fenestram Orientalem.. jace sagittam.. sagitta salutis Domini.* Hæc Xaverio partim accommodare, partim singularis viri sectatoribus fas fuerit. Ecquid rectè sagitta ipse vocari potest, ut paulò antè demonstravi? à Domino sagitta salutis emissa ad Orientem. Sed, quem admodum ab Elisæo profecta vim suam obtinuit fausta precatio; & quas ore prædicebat victorias Prophetæ, manu effecit regiæ manui per mysticum ritum impositâ: sic, quam in terris, agens opem Xaverius apertè sociis Evangelicis præstiterat, immortalis nunc uberiosem de cælo præstat, occulta benignissimæque efficientiæ certâ, nec semel à me tactâ, ratione. Quamobrem ab his cum laude gesta omnia, Prophetæ Apostoloque Indiarum Thaumaturgo sunt adscribenda. Militum egregia facinora dux; discipulorum studiis parta decora magister suo jure sibi vindicat. Et faciendâ per Eliam Deus nonnulla prænuntiavit, quæ per Elisæum ipsiusque discipulum peracta fuere; ut Hazaelis & Jehu Regum designatio & unctio. Jacobus Patriarcha filio carissimo optimeque promerito Josepho quem fundum ex-

p Psal. 126. q Ps. 44. & 119. r Habac. 3. s Ps. 7.



tra sortem assignavit, eum se tulisse ex Amorrhæis dixit gladio & arcu suo; id est, Simeonis & Levi liberum suorum armis cepisse. Christum in Judæa baptizasse narrat Joannes tertio historiæ Divinæ capite: per discipulos id actum explicat idem capite quarto, *Audierunt Pharisei, quod JESUS... baptizat: quanquam JESUS non baptizaret, sed discipuli ejus.* Quin ergo suppari modo Xaverius baptizasse dicatur, non tantum quos suâ ipse manu lustravit innumerabiles, verum etiam quoscunque ejus discipuli sacris & vitalibus aquis perfuderunt? Documentis, exemplis, miraculis adhuc superstes in orbe terrarum, in cœlo assiduis apud æternum Dominum precibus efficax, ope Divinâ usque modò operatur. Caput suum agnoscat illorum, quos Christo per Evangelium Xaverius genuerat, cuncta posteritas. Quidquid recti piique in Indiis ultra citraque Gangem, quidquid in Japonibus, quidquid in Sinis perfectum (ne dicam, quæ multa magnaue in reliquis Asiæ partibus, quæ in Africa, quæ in America, præcipueque in Europa Xaverio debeantur) id sanè totum Orbis Novi Apostolo acceptum est referendum; perinde ut satori arboris fructus, ut semini suo messis. *Granum frumenti ipso in aditu Sinarum mortuum est, & cecidit, fratres, noster nempe Xaverius.* (Scribebat in Lusitaniam aliquanto post Apostoli decessum, respiciens ad Evangelicum effatum, Melchior Nunnius: ) *nimirum si ad metendum accesserimus, spicas ex eo uberes, volente Domino, colligemus.*

Mors ista, cujus renovata mentio est, ingens obedientiæ facinus exemplumque singulare Apostolicis præripuit viris. Antevortit enim, quas Ignatius litteras ad Xaverium dedit ex Oriente in Europam revocandum: ut ipse, quæ erat gentium regionumque notitiâ, delectum haberet virorum ad Indiam Japoniamque mittendorum; & quæ valebat famâ gratiâque apud Lusitanæ Regem, apud Romanum Pontificem, cum iis coram ageret efficacius de gravissimis rebus ad expeditionem Orientalem spectantibus, ad Æthiopicam Brasiliamque missionem. Suberat alia revocationis causa; quam sibi indicatam postea declaravit arcanorum Ignatio conscius Polancus. Nempe administranda Socie-



tati quem norat aptissimum sapientissimus hominum virtutumque æstimator, sibi optabat reposcebatque tacitus successorem. Et alterum ab Ignatio moderatorem ordinis universi Xaverium Petrus Faber, tantâ prudentiâ vir, tantâ religione, jam olim suffragio nominarat. Tum verò cernendi spes Thaumaturgi celeberrimi, sanctissimiq; Apostoli, sic Romam erexerat, ut omnibus jam lætitiis amplissimi Proceres incederent. Jamque solennem & triumpho similem pompam excipiendo Indiarum victori meditabatur sedes illa Religionis ac majestatis; urbs illa, cujus augustam ditionem longiùs, quàm Imperatores omnes, unus protulerat Xaverius.

At enim Divinæ aliter Providentiæ visum: quæ, quo maximè decuit loco & tempore, Xaverium obire voluit, suumque Indiæ proprium ac perpetuum remanere Apostolum, & quasi pugnx aream campumque obtinere ac premere *t virum unicè obedientem; loquentem victorias.* Quo religiosæ obedientiæ sensu esset animatus; eâ pariter & superiori fidelissimè exhibendâ probavit, & diligentissimè à subditis exigendâ: quippe totam virtute istâ primariâ disciplinam Religionis perfectionemque contineri convertiq; doctus, & factis æquè ac verbis egregiè perdocens. Ordinem, cui sacratâ solenni que professione erat consociatus, quanti faceret, quantâ complecteretur charitate, ostendit illâ sibi aptatâ Psalmographi imprecatione; *si oblitus fuero tui, Societas JESU, oblivioni detur dextera mea:* tum quæcumque ad ejus constitutionem progressionemque attinerent, piâ curiositate & sollicitudine requirendo.

Ignatium quàm verè, ut appellabat, parentem animæ suæ agnosceret, nōne insigniter commonstrabat institutis legibusque illius avidè expetendis, accuratè alacriterque observandis? Etsi antequam regulas ab ipso, quas etiam atque etiam rogabat, accepisset; ad ejus mentem formamque in Europa præscriptam omnia per Indias mirificè dirigebat, cùm eodem, quo ille, spiritu regeretur. Ubi quid jubebat, patris Ignatii interponebat nomen: eundem ad-



huc mortalem, sanctum, beatum, loquendo, scribendo, vocabat; litteras ad ipsum, quod supra notatum est, fixis humi genibus exarabat. Præterea chirographum, ab Ignatii epistola recisum, thecæ reliquiariæ inclusum, unâ cum officulo D. Thomæ Apostoli Patronique sui, & religiosorum formulâ votorum, ad pectus gestabat. Quod si epistolam illam, quâ jubebatur Apostolus omisâ Indiâ relictoque Oriente in Occidentem atque in Italiam reverti, non prævertisset importuna & acerba Xaverii mors; ut, nullâ interpositâ morâ, ad Præpositi vocem revolasset! Unica littera 1, quam subscriptioni suæ Ignatius addiderat, explicatis magnâ ex parte rationibus. cur ipsi reditum præcipiendum judicasset; hæc, inquam, unica littera, quâ ire juxta præscriptum monebatur, Xaverium jam Sinis licet incubantem, perlustrandique Evangelicâ luce Orientis cupidissimum, at obsequium quovis sacrificio potius gratiusque Deo præclarè intelligentem, ab extremis mundi oris, dimissa curâ spèque immensâ retrahere, aut, convenientiùs dicam, abripere omnino potuisset.

Is adeo Xaverii animus ex iis eminet litteris quas ultimas ad Ignatium dedit, Cocino ad Sinas discessurus. Infimam de se opinionem, summamque adversus Ignatium pietatem exprimens: obortasque sibi referens lacrymas inter legendam significationem desiderii, quo desiderio teneretur Ignatius videndi rursus ante suam ex hac vita migrationem Xaverii, hæc ipsa verba subdit, ex germana Possini eruditissimi versione: *Quod etsi video difficillimum, tamen nihil est quod sancta obedientia efficere nequeat.* Quo loco subit illud Divinum ex Jobo quæsitum: *Numquid mittes fulgura, & ibunt: & revertentia dicent tibi, adsumus?* Ita se viri gerere Apostolici debent, Xaverium imitati. Fulguris modo ab Occidente ad Orientem emicuerat: *sicut fulgur exisset ab Oriente, & parvisset usque in Occidentem.* Ignatio, Divinæ voluntatis interpreti, à quo missus, à quo revocatus, nâ mors intercessisset, Romæ apparuisset quàm celerrimè.

Eodè pertinet id quod ab Ezechiele accepimus de quadrigis coelestibus, de Cherubimis: *& animalia ibant, & revertentur, in similitudinem fulguris coruscantis.* Regressus iste



progressum habet. *Ubi erat impetus spiritus, illuc gradiebantur.* Spiritu Dei aguntur filii Dei, homines Apostolici, terrestres quidam Angeli. Non retro illi respiciunt mobilitate animi, periculorum metu, incommodorum tædio, impatientiâ laborum: neque ab Evangelica redeunt peregrinatione, ab opera suscepta decedunt, nisi aut necessitate coacti, aut obedientia compulsi. Ac tunc voluntati suum constat pretium: operis etiam imperfecti, relictique ex Divino mandato, præmiû fertur obedientiæ laude cumulatam. Reverens in Europam Xaverius non se ad quietem contulisset, emeritus jam, confectisque velut stipendiis veteranus: at Heros tantis exercitationibus indefessus; & cui quantum de robore corporis inclinatio ætatis perperessioque ærumnarum detraxerat, tantum ad animi vires addiderat, ab Indiis revocatus laborem labore mutavisset. Plures quidem partes gubernandi susciperet, quam agendi: & transmarinam expeditionem, quam Evangelii præconio obierat, patrociniò absens promoveret. Sedenim priori Deus operi immori Apostolum maluit, ejusque in terrarum finibus extare sepulcrum, cujus vel aspiciendi cupiditas peregrinos exciret Apostolicos; aspectus veneratioque, molestiæ omnis & periculi pretium haberetur.

Nunc, ex duplici elogio quod reliquum est, ac multiplicem cum Elia Elifæoque Xaverii collationem ut absolvam: ex nostro Siracidâ Elifæus *in diebus suis non pertimuit Principem: & potentiâ nemo vicit illum, nec superavit illum verbum aliquod.* Equidem nobilissimam utriusque Prophetæ constantiam & fortitudinem in coarguendis Principibus jam ab initio collaudavi: sed illud in primis admirabile, quam audenter Elias Achabo Nabothi cædem exprobravit, facinoris poenam denuntiavit; & quo loco innocentis viri sanguinem linoxissent, eodem à canibus lambendum tyranni cruorem: aliis oratione acerrimâ contextis de totius regni posteritatis ac sceleratæ domûs excidio, & Achabo ipso cum impiâ uxore à canibus, à volucribus devorando. Jezabelis tamen iram prius metuerat, humanæ aliquid infirmitatis expertus: & mox filium ejus Ochoziam pertimuit; néve illi se sisteret accersitus, fulmina coelo in ac-



eerfentes devocavit. Nec porrò timorem omisit; Regemque; stratam licèt morbo, lecto affixum, ausus est adire, nisi ab Angelo corroboratus.

Timidè hoc ipse dicam in hac contentionis magnificâ specie; sed haud veritati deesse par est: Xaverius, quanquam non caruit ille quidem commercio visuque Cœlestium; neque, ut Elias, Angeli tamen hortatu, discrimen præstantis, eguit ad Reges adeundos; neque, ut Elisæus, equorum curruumque igneorum aspectabili præsidio, ad occurrendum infestis ducibus, exercitusque hostiles pervincendos. Metu nunquam perstrictus, non proceres modò Christianos, sed ethnicos ac barbaros Principes, flagitiorum censor acerrimus, quod primis est commentariis explanatum, reprehendit coram & increpavit. Minas inter & verbera dæmonum, inter procellas & naufragia, inter pestilentes morbos & funera, ubique animo constitit, semper interritus, semper invictus. Ecquis illo potentior; qui solus & ferarum greges, & hostium armatas copias fugarit; morbos dæmonesque expulerit, ventis fretisque imperarit; animas inferis præripuerit, corpora sepulcris revocarit?

Verùm quantacumque istâ potentiâ major hæc certè numeranda laus est, quod se ipsum habuerit semper in potestate; modestiam ubique præstiterit, & de suis rebus tam præclaris tamque arduis humillimè sentiendo, & benignissimè gravissimas injurias vexationesque perferendo. Nihil frequentia miraculorum & amplitudo, nihil animi prorsus heroica altitudo submissioni offecit & mentis & voluntatis. Quin ex Divinis humanisque Xaverius ornamentis ansam capiebat sui abjiciendi. Quod vel ex iis litteris, quas modò ad S. Ignatium ab eo datas memoravi, splendidè apparet: ubi magnam se habere Japonibus gratiam scribit; cùm, ærumnis apud eos tolerandis, in se altius ipse descenderit, peccatorumque suorum barathrum Divinæ illustrationis beneficio detexerit. Ea demum illustratione & quasi experienciâ sese intellexisse, quanto pere aliquo sui sedulo curatore indigeret; nedum curæ aliorum gerendæ esset idoneus, præfecturæque sibi com-



missæ, quâ per Indicam provinciam tot sanctas fratrum suorum animas regere haberet, quibus commendari se regendum omnino satius foret. Nam quid ego alia Xaverii dicta factave conquiram, aut sparsa libris superioribus colligam, unde exinanitum funditus sui æstimatione virum tantum cognoscas? Quid ministeria vilissima revolvam, quæ passim Apostolicus Nuntius cuiusvis hominum generi, tanquam omnibus cum Paulo debitor, exhibuit alacritate adeo generosâ, ipsis ut splendorem sordibus allineret?

Nec leviori admiratione digna extitit patientiæ & lenitatis illa cum justitia & severitate conjunctio, quam præsertim in legationis causa Sinensis probavit Indiarum Apostolus. Et huius quidem ad Evangelium promulgandum tam opportuniæ legationis disturbance in se, quasi in malorum causam caputque, transferebat pro suâ animi demissione; cum omni virtutum apparatu & operâ missionem Apostolicam adornasset; totaque in Ataidæ, Præfecti Malacensis, avaritiâ, invidiâ, furore culpa resideret. Quâ de re aliquoties jam variis occasionibus dixi. Hominem singularibus officiis antè captaverat, ut consilio ad summam Dei gloriam, animarumque immensam utilitatem suscepto faveret; adversantem obstantemque sanctis conatibus, & nefariâ iniquitate in præceptis rudentem sustentare, delinire, sanare Divinis humanisque rationibus piè studiosèque tentaverat. Mollissimis remediis non procedentibus, acriora ostenderat, pœnas ab Indiæ Governatore, à Lusitano Rege, ab ultore scelerum Deo interminatus. Quibus omnibus per obstinatum obduratamque impietatem rejectis, protritit, eò tandem redactus fuit Xaverius; ut Evangelicæ progressionis consulturus, exemploque occursum pestifero, necesse haberet furentem desperatumque Religionis adversarium ferire anathemate, & à Christianorum coetu reseccare. Tametsi non tam ferit ipse, quàm vi Pontificii diplomatis in eos lati, qui suam Fidei promulgationem impedirent atque obturbarent, jam confixum prodere voluit; declarandumque pro templis curavit, hosti sacrorum sacris esse interdictum. Hæc scilicet necessaria justitiæ severitas;



eiusmodi Paulus Corinthium flagitiosum excommunicatione perculerat. At præter illam in vindictæ cœlestis tractatione adhibitam moderationem & clementiam, quanta in professum hostem profanumque vexatorem postea charitas ab Xaverio benignitasque redundavit! Cùm publicâ effrænataque insectatione Malacensis Præfectus, heroque conjurati satellites, ita foedè importunèque sævirent in Xaverium, vix ut eum talia ethnicos inter ac barbaros ludibria exercuissent: sic cuncta excepit ac sustinuit pater, ut ne verbum quidem in Ataidam inseruerit epistolæ; quâ Regi Lusitaniæ, apud quem sanè plurimum poterat, Jacobum Pereriam oratorem ad Sinas destinatum, factisque in legationem sumptibus exhaustum, commendavit. Quam dolo interceptam Præfectus epistolam curiosè perlegit; & quamvis cœcus scelere & furiosus, tamen silentium istud in tantâ injuriarum atrocitate non potuit non mirari. Sed qui vocem accusationis nullam, nullam querelæ mittebat vir sanctissimus; interim dum tacebat Regi, Deo clamabat, non ultionem flagitans, at veniam homini perditissimo. Reconciliationis humanæ sacrificium ad aram pro Ataida quotidie offerebat: iræ Divinæ ardori lacrymis uberrimis extinguendo supplex assiduè incumbibat. Ita severitatem diluit, adeoque obruit misericordiâ Xaverius.

Jam idem cum actione quàm diligenter accuratèque contemplationem orationemque miscuit! Neque enim is erat, qui, ut multi, alios dum curaret, se ipsum negligeret. Totus in hominum Christo Redemptori lucrandorum conquisitione Apostolus esse videbatur; animis corporibusque dies noctesque ministrabat. Nihilo tamen minùs intimè agebat perpetuus cum Deo, quem spectabat unum, cui laborabât operâ dandâ mortalibus. Erumpebant crebræ ac fervidæ ex ipsius ore voces & precatiunculæ, sic tanquam emissa in cœlum jacula; etiam inter hominum congressus, etiam in somnis, animo ad cœlestia pervigili & altissimè excitato. Per ipsas urbium plateas diducere, diripere, à pectore vestem sæpe cogebatur ad levandum amoris Divini æstum intolerabilem. Quidquid nancisci



poterat vacui temporis : aut negotiis subripere , arcano cum Superis commercio tribuebat : & simul à vulgo recipiebat sese , in Christi penitus viscera immergebat. Terrâ pariter marique assiduus in supplicatione ; & in navi , vel medias inter procellas ac tempestates mente orabat tranquillissimâ : & cum exscensio fieret , raptim se in solitarium abdebat locum , Deo vacaturus ; nec rarò abripiébatur à sensibus , à terra efferebatur. Noctes quidem , jam solidas , jam dimidias , & amica illa silentia colloquio Divino ferè transigebat ; precatione quietem capiebat sopore placidissimo dulciorem.

Quanta verò Xaverii in penso Ecclesiastico persolvendo & Officio liberalitas pietasque ! Quod contrahere cum eo tempore liceret homini occupato , ut qui maximè , idque Dei proximique causâ ; producebat ultro , singulis horis u hymnum ad S. Spiritum præmittens ( quem hic ego morem nominatim in documentum annoto : ) frequentiq; hominum interpellatione nihil commotus , à principio hymnum eundem revocabat alacritate vehementiaque tantâ , x ut cor & caro exultarent in Deum vivum ; ac Spiritum , à quo creatus erat & naturæ ordine & gratiæ , y in Christo JESU in operibus bonis , cum suppliciter invocaret , jam copiosissimè illapsum spiraret. At sacro faciendo quæ flammæ ! quæ lacrymæ ! quæ delicia ! Ardores illos raptusque mirificos cum aliis locis , tum capite secundo , & divinitus affusa corpori , menti infusa lumina indicavi. Solum hoc addo in hac parte ; Xaverium ab opere Apostolico interquiescentem , colligendis animi per Exercitia Spiritualia viribus , nonnunquam in speluncas ad aliquot dies sese condidisse. Quanquam in turba , in foro sic versari solebat , ut sedere in eremo videretur. Ubique adhærebat Domino , z unus cum eo spiritus ; ubique in homines se effundebat , omnibus omnia factus , Minister Christi & Dispensator mysteriorum Dei ; ac prout rem carmine signavi ,

u *Veni Creator &c.*

y *Ephes. 2.*

x *Psal. 83.*

z *I. Corinth. 6.*



*Semper agens, semper collecta mente quietus.*

O mirabilem felicemque colligationem & societatem, quâ virtutes componuntur inter se diversæ, amicaque conspiratione temperantur, cum altitudine animi submissio, cum severitate benignitas, cum actione contemplatio; &, quæ paucis exequenda restat, cum incensâ charitate circumspectio & prudentia! De Xaverianæ charitatis fervore plurima totis hisce commentariis exposita sunt; nec verò nulla de lumine illo prudentiæ, sed difficilis utriusque consociatio distinctè annotanda venit. Habet enim vulgò zelus impetum, sæpe cunctationem prudentiæ; & ab hac iste, ne quid inconsultè faciat, præside & moderatrice continendus ac regendus est, alioqui multa peccet honestâ mente, speciosâ voluntate.

Xaverius, quanquam Divinæ gloriæ salutisque publicæ studio tanto flagravit, ut jam non viri magis nomen sit, quàm zeli, Xaverius; haud incitatione præcipiti, sed ratione judicioque ad Evangelicam operam ferebatur. Nihil temere & præfractè moliebatur unquam; &, ut non segniter, ita nec violenter ad curationem aggrediebatur animorum. Præclare siquidem intelligebat, avidiùs quàm consideratiùs agendo omnia conturbari; & quos allici facilitate ad pœnitentiâ oportuerat, à salute per importunitatem averti & alienari. Ergo prudentissimus Apostolici muneris interpret atque tractator, opus arduum sanctæ conversionis, negotiumque omnium gravissimum, cui tota æternitatis moles incumberet, mirâ alacritate, nec minori cautione suscipiebat; pari sedulitate constantiaque gerebat. Rite consulto conciliatoque precibus, & sacrificiis, & corporis afflictationibus Deo; peregrinatione etiam in hunc finem aliquando susceptâ Meliaporem ad D. Thomæ, quo duce per Orientem utebatur; sibi nequaquam confidens, at unicè clementissimo & potentissimo Numine subnixus, Patronâ Virgine, Tutelaribus Angelis, Coelitisque aliis faventibus; Ecclesiæ universæ, ac Societatis nominatim suæ meritis fretus, ut sæpe testatur, animosè fortiterque sacras expeditiones capessebat. Ipse ab omni terreno affectu purgatus & secretus, ne quam fortè labem



à contagione malorum traheret ; virtutumque suprâ commemoratarum armis tectus & præsidio circumseptus, ignotas civitates adoriebatur barbarasque nationes ; & Christi imperio subdebat , Christi auspicio debellatas.

Neque populos tantùm quærebat generatim , verùm homines etiam singulos, Fidei pietatîque adjungendos. Atque ut peritus belli dux oppugnandas urbes diligenter explorat , tela machinasque strenuè admovet ; & quas arces apertâ expugnare vi non valeat , cuniculis invadit & subruit ; similiter in hac Christianâ militiâ Xaverius loca, tempora, speculabatur ; personas observabat , res cunctas expendebat. Si quos videbat inolitâ consuetudine peccandi ita depravatos , nomen ut ipsum horrerent confessionis, monita salutaria respuerent ; neque animis solùm , sed auribus quoque excluderent : neutiquam irruendum adversâ fronte , pugnâque veluti indictâ ratus , obrepebat sensim ; & omnes tentans muniensque sibi aditus, per altam dissimulationem dolo quodam bono securos amicis que insidiis circumveniebat humanissimè , blandis permulcebat sermonibus , officiis mollebat. Quot eâ viâ solertiâque nec-opinantes animos cepit ! quot in flagitio & scelere obfirmata pectora inflexit & occupavit ! quantas avaritiæ , quantas libidinis sordes absterfit & expiavit !

Dabat se in congressum improborum , civium, advenarum, militum, institorum ( quod antea significatum est : ) atque in eorum se gratiam insinuabat eximiâ festivitate morum , quæ decoram gravitatem nullâ ex parte corrumpere , sed aspersâ condiret suavissimè. Visendis comiter ædibus , celebrandis familiariter mensis , sagacissimè domesticas pestes odorabatur & vestigabat ; deprehensas aliâ atque aliâ paulatim occasione removebat. Quæ suspensâ manu primùm vulnera tractaverat , iis opportuna adhibebat remedia : saucios, mitem amicamque manum jam patientes, ad sanitatem reducebat. Infernorum terrore suppliciorum , coelestium præmiorum cupiditate , amoris Divini illecebrâ & dulcedine injectâ , voluptariis pellices , feneratoribus violentisque prædas injustitiæ detrahebat. Attamen qui desperatos ægros lenissimis fovebat curabat-

que



que medicamentis; idem, quàm mansuetus aliis, tam sibi austerus, suo interdum sanguine medicinam faciebat homini profligato (quem flectere ad pœnitentiam non potuerat) in ejus conspectu ad placandam cœlestem iram ferreâ se catenâ vehementissimè diverberans; & alteri, cujus teterrima peccata confessi satisfactionem in se receperat. Hic verò charitatis tam inusitatâ specie ad graviores à se ipso repetendâs pœnas accensus; miles, qui priùs bellicâ re clarus, impietate famosus, *a* exhibuerat membra sua *arma iniquitatis peccato*, exhibuit *arma justitiæ Deo*.

Ita procedebant Xaverio mille juvandi artes, & industriæ; quas illi sublime, & ad omnia præclara salubriaque versatile ingenium, multiplex raraque doctrina, & cœlestis planè sapientia suggerebat; charitas verè Apostolica passim expromebat. Id interea summè providebat egregius Pauli æmulator, nusquam ut ab ullo suorum daretur offensionis locus; ubique religionis purâ & integra constant officia. Ipse Lusitanorum Indorumque ædificationi splendide serviebat *b* verbo & factis, in virtute signorum & prodigiorum, in virtute Spiritus Sancti. Sic autem prædicavit Evangelium ad innumeras gentes; ut, quibus locis labefactata esset Fides, ruinas excitaret: ubi non esset nominatus Christus, aut ubi deleta Christi memoria, primus ædificaret; aut fundamentum, *c* ut sapiens architectus poneret, cui post alii inædificarent. Cùmque opus tantâ celeritate, quantam sæpe notavimus, faceret; ita solidum efficiebat, ut videamus apud Japonas (quod & ipse litteris prædixerat) firmam tamdiu stetisse Evangelicam *d* substructionem, frustra persecutionis tyrannicæ dirissimæq; vexationis turbinibus concussam; nec ignium furore, nec aquarum violentiâ, nec sanguinis inundatione, aut immani effossæ terræ hiatu eversam. Non ita ferebat ille cursim, quin sementem gnæviter excoleret; ut hac simili-

*a* Rom. 6.

*b* Rom. 15.

*c* 1. Corinth. 3.

*d* Matth. 7. Luc. 6.



tudine utar alterâ, item Evangelicâ : quam, sicut retuli capite superiori, contigit Relatione Consistorianâ Cardinalis à Monte, fructum celebrans ab Xaverio allatum & permanentem. Cui Cardinalitiæ voci hoc addam Pontificiæ segmentum orationis pulcherrimum; elogiumque à Magno Leone mutuatum de Principibus Apostolis Romanisque Martyribus ad meam rem transferam. Præclarum istud Divini seminis germen, in quantam sobolem germinarit, Japoniorum millia Martyrum protestantur; qui Apostolicorum æmuli triumphorum, Ecclesiam Romanam, suumque & satorem Fidei & morum cultorem Xaverium, purpuratis & longè latèque rutilantibus populis ambierunt, & quasi ex multarum honore gemmarum conferto uno diademate coronarunt.

Hactenus de Sancti Francisci Xaverii Indiarum Apostoli Thaumaturgi laboribus immensis, & virtutibus; quas, modò & alias crebrò à me laudatus Cardinalis, coram Pontifice Maximo Sacroque Collegio heroicas jure appellavit. Et quidem cunctas adeo perfectè virtutes vir divinus est complexus, ut quâ potissimùm excelluerit, cum qualibet emineret, dijudicari non possit. At illud tamen verè ab Ecclesiæ oraculo, summoque Xaverianæ sanctitatis præcone Urbano VIII. pronuntiatum extat in Canonizationis Bullâ sæpè memoratâ : *Inter ceteras ejus virtutes, quasi sidus matutinum, præcipuè resplenduerat charitas.* Hæc omnes una agebat, & ministras adhibebat operi: aut universas potiùs animabat; ut in Xaverio pietas, fortitudo, patientia, ac reliquæ laudum illustrium species formam induerint charitatis. Hæc laboribus Apostoli vim pretiumque addidit: hæc Thaumaturgi miracula consecravit: probavitque insigniter hocce Augustini, de Civitate Dei libro decimo, ingeniosum ac sapiens effatum: *Omni miraculo, quod fit per hominem, majus miraculum est homo.* Nobilissimum certè prodigium Xaverius ipse, clarissimumque spectaculum extitit Deo, Angelis, hominibus. Thomas alter, alter Paulus, gentium Doctor & Apostolus. Denique, ut ad caput extrema referatur laudatio, novus Elias, tanquam currus apparuit Divinæ Gloriæ; quam cursu incita-



tissimo, spiritu coelesti, ac splendidissimo fervore circumtulit, & ad metas finesque orbis terræ magnificentissimè provexit.

Quid superest ad operis & conclusionem & fructum, nisi ut propositam Apostolicæ vitæ formam operarij sequantur Evangelici? Jam certè Xaverium piis expeditionibus addicti, etiam non suæ Societatis homines, ac sacræ missionis sodalitia in orientis obeuntisque Solis partibus varia præsidem sibi patronumque adsciverunt. Nec verò possint, qui mente sincera, *zelo secundum scientiam* & prudentiam, salutem animarum & maximè gentium conversioni incumbant, non eum intueri, quem singularibus donis meritisque ornatissimum Deus Apostolum novissimis temporibus ostendit non magis ad miraculum, quàm ad exemplum. Senecam Tacitus refert, sub mortem conversum ad amicos, esse testatum, iis se, quod pulcherrimum habebat, imaginem vitæ suæ relinquere. Arroganter ille quidem non optimum proponebat exemplar, in quo plus fortasse quid fugiendum, quàm quid sequendum, offeratur. At Xaverius immortalis, non gloriosius, quàm sanctius, exhibet his quos *beatos amicitia suâ decorat*, multiplicem vitæ suæ imaginem; quam ego partim Carminibus, partim Commentariis expressi; felicius ipsi præstantiusque, fortes affecta sedulique imitatores, Apostolici viri virtutibus & factis exprimant.

FINIS.



MUTANDA ET ADDENDA.  
IN POEMATE.

Pag. 9. **T**urritamque sequi pugnaque laceffere classem.  
Interea augustæ montanam Virginis ædem  
Supplicibus celebrat votis, absensque sequaci  
Mente juvat Christo devotam in bella Cohortem.  
Tandem Acenûm, quæsitæ diu longæ æquore, classis  
Dum raptis gaudet spoliis, altique recessu  
Parlis \* agens, scelerum insidiis nova præmia captat;  
Post varios flexus, tristesque reperta procellas  
Lusiadis certandi avidis lætisque pericli est.  
Jamque procùl vasto concurrunt fluminis alveo  
Adversæ inter se partes, densæque carinæ.  
Rite Malacensem divina ad pulpita cœtum, &c.

\* *India fluvius*

IN COMMENTARIIS.

Pag. 88. ad calcem, post, *hereditatis tuæ*, adde.

Congruit demum apprimè forti providæque animæ Xaverii illa sensu mystico cum navi longè annonam portante comparatio, Proverb. c. xxxi. quam ego ad similitudinem aliquando, missionem canens Apostolicam, hisce versibus allusi.

Ætherias fruges Divini è semine verbi,  
Dulcia purpureo Christi de fonte fluenta  
Quàm longè vehit alma ratis, certamque salutem  
Gentibus, & sacro jungendam fœdere pacem!



Hic verò dissimulare non possum, quòd Eliam \* Chryso-  
stomus ob inductam Israeliticæ regioni siccitatem, steri-  
litate, famem, sitim, peccati & crudelitatis insimulare  
non dubitavit. Equidem Chrysofomi sanctitatem vene-  
ror pro eo ac debeo: sed eloquentiam nolim in Eliam  
concionariè tragicèque efferri, ac gentis impiæ poenam  
crimini dare tanto Prophetæ, meritissimamq; laudem cum  
probrio commutare. *Quomodo male dicam, cui non maledixit  
Deus?* aiebat Numer. c. xxiii. malus quidem, at verus va-  
tes. Quomodo eum reprehendam, quem non reprehen-  
dit, immo quem laudavit mirificè Deus? Divino certè  
Spiritu afflatus Sapiens Eccli. xlviii. hæc ad sempiternam  
consignavit Eliæ commendationem: *Qui induxit in illos fa-  
mem; & irritantes illum invidia sua pauci facti sunt. non enim  
poterant sustinere præcepta Domini. Verbo Domini continuit cæ-  
lum, & dejecit de cælo ignem ter. Sic amplificatus est Elias in mi-  
rabilibus suis.*

Quid Jacobus in epistola sua Catholica? Nempe in ar-  
gumentum, quàm efficax potensque oratio sit, producit  
fufas ab Elia preces ad cohibendos imbres. *Elias homo erat  
similis nobis passibilis; & oratione oravit, ut non plueret super ter-  
ram; & non pluit annos tres, & menses sex: & rursus oravit;  
& cælum dedit pluviam, & terra dedit fructum suum.* Idem qui  
prohibuit imbres, elicuit. illud justitiæ fuit, hoc misericor-  
diæ. utrumque oratione confecit; à Deo pariter impetra-  
vit. An non & Angelus, orator ille cœlestis, vehementiam  
Eliæ comprobavit? ubi magnum Joannem, Spiritu Sancto  
repletum jam inde à matris utero, nuntiavit præiturum  
Domino in spiritu & virtute Eliæ, ut converteret corda  
patrum in filios. Denique Christus ipse Dominus, & clausi  
triennio plus cœli mentionem faciens, amore singulari  
curatas divinitus Eliæ res significat; & posteaquam Trans-  
figurationi testem & spectatorem, & gloriæ suæ participem  
adhibuit, venturum esse prædixit, ut restituat omnia. Jam  
posteriolem istum Præcursorem observavimus ab Apostolo

\* Homil. in Petrum Apost. & Eliam Propb.



Joanne in Apocalypsi descriptum potentiâ *claudendi cœlum; ne pluat*. Sic nimirum creditâ sibi potestate usus aliquando fuit, ut eadem ad extremum armatus Religionis hostes sit profligaturus. Divinæ gessit voluntatis interpretem, ultionis administrum. Et desertoribus patriæ legis, verique Numinis, non magis imprecatus Deuteron. xxviii. Moses, quàm minatus fuerat & vaticinatus cœlum æneum, terram ferream; imbrem, pulverem & cinerem.

Unde igitur Eliæ culpa, qui pervicacé & impietate debacchanté regem ac populum, malo externo domitû voluerit, & salutari poenâ ad poenitentiam vocaverit? Atq; hæc, quæ differui hæctenus, cuiquam videantur fortasse haud necessaria: verum Thesbitæ mihi severitas, cui implicata Xaverii causa est, propugnanda incubuit. Virum Deo acceptissimum, ipsique Chrysostomo venerandum, & verè ampleque pro suo merito laudatum in eadem homilia, ubi inhumanitatis reus crudelitatisque agitur; ob eamque culpam in aliud timiditatis & ignaviæ peccatum labi permittus affirmatur; terrestrem Angelum, hominem Coelestem, ut ibidem appellatur; & cujus lingua, aquarum thesaurus, cœli clavis extiterit; Eliam, Eliam ab omni inclementiæ notâ purgatum absolutumque cupio. Ac ne pro rei sacri dignitate acrius agam, impedior sancti reverentiâ accusatoris; qui profectò mente optimâ, sed tamen in arguenda Eliæ severitate severiorem sese duriolemque præstitit, ac planè *excessit*: ut aliâ de criminatione princeps ille Theologiae Aquinas in iii. parte Summæ notavit. Cujus autoritate concionatoris nonnulli abutuntur interdû, eoque abripiuntur, temere ut vituperent virum omni præconio dignissimum.

Nec reliqua in concione istâ satis constant Divinæ Scripturæ circa locum & tempus, quo profugum Eliam allocutus est Deus: neque erat, cur falsi rationem ab eo fugæ redditam Chrysostomus inculcasset. Non quamvis fugam, indecoram esse ac reprehendendam; sed honestam aliquam & laudabilem, discipulis à Christo mandatam & ab ipso usurpatam, capite primo declaratum est. Illam quidem Eliæ decoravit etiam obsequium Angeli, panem & aquam in solitudine jacenti offerentis: unde semel iterumque refe-



Etus Propheta, deinceps jejunus omnino grandem viam  
à Cœlesti Ministro & duce ostensam voravit; quadragin-  
ta dierum iter confecit perpetuo vegetus miraculo.

Præterea in controversiam ab Abulensi multisque ad-  
ductum aliis est; peccarit necne Thesbites interficiendâ  
pseudoprophetarum cohorte? Sed nec illi aliquid labis  
Eliæ nefariorum hominum sanguine aspergunt: & fanè  
si impuri gregis interfectio crudelitas esset appellanda,  
quot illustres in sacra historiâ viri crudelitatis maculam  
contraherent! &c.







I N D E X  
R E R U M P R Æ C I P U A R U M,  
Quæ Poemate & Commentariis continentur.

A.

**A** Brahe benedictio spiritualiter concessa D. Xaverio, posteritas innumera, pag. 30. 52. Utriusque voluntas Deo accepta, 150.

Aceni, Somatræ populi, Malacam invadunt 8. 104. Eorum classem longè impares viribus Lusitani persequuntur autore Xaverio, 105. & seq. superant, eodem præstante & Malacæ nuntiante victoriam in ipso, quo procul referebatur temporis articulo. 103. & seq.

Aghiarus, D. Xaverii propheticâ pollicitatione securus inter procellas, & tutus ab omni casu maritimo, 125. & seq. Eiusdem piè funus curat, 161.

Alcyon. cum eâ Xaverius comparatus, 14.

Alexander VII. Pont. Max. quos honores tribuerit Xaverio 212.

Alvarus de Gama, Vasci Gamæ filius, Ataiida cognomento, Malacæ urbis Præfectus; Sinicæ legationis disturbator, &c. 62. 64. 96. 149. 158. 162. & seq. 144. & seq.

Amplius; Xaverii vox laboribus objectis inexpleti, 3. 56. & seq. 136. & seq. &c.

Angeli, ab Xaverio magnopere culti, & moribus expressi, 18. 136. Apostolicis expeditionibus favent, 47. 80. Noxios qui puniant, 95.

Angelus, cui Xaverius persimilis, 81. Angelus aquarum Præses, 133.

Apostoli



Apostoli, 74. 101. 139. 230.

Aquæ tormenta apud Japonas, 26. 202.

Aquila, cui Xaverius confertur, 69. & seq. 79. 155. 230.

Arcus cœlestis, 42.

D. Athanasius M. 65.

B.

Badagarum exercitus ab uno Xaverio obviam progresso repellitur, 8. 98. & seq.

S. Barnabas, 73. 173. 238. &c.

Joan. Barraltus, Archiep. Arelatensis, D. Xaverii epistolas Latinè versas recudi, easque Gallicè vertendas & publicandas curavit: ejusdem nomini inscriptæ Domui Professæ Societ. JESU Burdigalensi munera corpusq; suum testamento legavit, 213. & seq.

Gasp. Barzæus, 56. 167.

Henr. Bethunii, Archiep. Burd. de S. Xaverio magnificum in solenni concione pronunciatum. moriens ædi Xaverianæ Burd. cum aliis muneribus cor suum donavit, 114. & seq.

Bononia hospicio & cultu Xaverii nobilitata; ab eo peste liberata &c. 42. 184. 210.

Bonzii, superstitionis administri Japonicæ, ab Xaverio disputatione profligati, 102. & seq.

Bungi Rex, perhonorificè Xaverium hospitem habuit: noménque ab eo Francisci adscivit in baptismo. próque eodem in Sanctos referendo per Legatos apud Summum Pontificem institit. 176.

Burdigala, Aquitanix Metropolis, D. Xaverio primum in Europa templum excitavit, 213.

C.

Cancer marinus Crucifixi Christi signum refert Xaverio, 12. & seq. 129.

Cherub, quicum Xaverius confertur, 81. 241. & seq.

CHRISTUS, ab Xaverio quâ demissione ministraretur in Eucharistia populo, 5. Autor miraculorum omnium, 94. 123. 139. & seq. 144. 171. &c.

Clemens X. quid Ecclesiastici ornamenti contulerit in Xaverium, 212.

Ant. Criminalis, qui primus è Societ. JESU pro Domino sanguinem effudit, 29. & seq.



S. Crucis usum ac venerationem præscribit Mastrillo Xaverius jam beatus, 190. & seq.

Cruces ab Xaverio depactæ, fontes miraculorum, 6. 31. & 165.

Crucifixi Domini simulacrum in castro Xaverio, natali domo Apostoli, sudans sanguine, 18. 185. & seq.

Currus Israel &c. 230. & seq.

D.

DEI Providentia, 17. & seq. 83. 108. 134. 150. 221. ss. Trinitas, 31. Divina in Xaverium benignitas & suavitas, 67. & seq. 179. Deus quo sensu dicatur irasci, 95. &c.

Franc. Deza, classi in Acenos missæ præfectus, victor, 110. & seq.

E.

Elias 7. 52. & seq. Ejus animus & zelus 55. 89. 91. & seq. 242. Ejusdem formido 63. 242. Pluviam prohibuit, elicit, 83. & seq. Ignem cœlo evocavit ter, 84. 89. Pastus à corvis, 236. ab Angelo 235. Farinam oleumque multiplicavit, 87. Mortuum suscitavit omnium primus, 138. & seq. In monte Sinâ Deo collocutus, 159. Jordanem divisit, 66. Igneo curru in altum sublatus, 138. Gloriosus in Domini Transfiguratione apparuit, 52. &c. Promissus à Deo per Prophetam, Christi judicis Præcursor restituet omnia, 208. Eliæ quædam ab ipso Deo tribuuntur, per discipulos ejus facta 238. Virginitatem perpetuam coluit, 234. Ejus austeritas & jejunium quadragenarium, 235. Joan. Baptistæ exemplum præbuit, 53. 55. &c. Severitas ipsius à reprehensione vindicatur, 91. & seq. tum in Additamentis; ubi multiplex ejusdem laudatio à Siracida, Jacobo, Gabriele, ipsoque Christo.

Elifæus 53. Virginitatem servavit, 234. vocatus ad ministerium Propheticum, quid egerit, 223. Spiritum ab Elia duplicem cum pallio accepit, 185. & seq. Elifæi varia circa aquas miracula, 69. 86. & seq. 129. Oleum panesque multiplicat. 87. Regem designat, 238. Regem coram arguit, 55. 242. Divino motu contumeliosos pueros ulciscitur. 97. Naamanem sanat, 145. Famuli peccatum videt absens, & vindicat, 115. Insidias hostium detegit, 114. Copias in se immixtas percutit cœcitate &c. 98. Victorias sub mortem



quomodo prædixerit & obtinuerit, 238. Mortuum quibus  
resurrexerit excitavit, 147. Alter Elisæi jam sepulti contactu  
revivificavit, *ibid.* & 161.

Epistolæ, S. Elisæ, 181. D. Pauli, *ibid.* S. Ignatii, 239. 241.  
D. Xaverii, 56. 181. & *seq.* 216. 228. 230.

Ezechiel, 139. 242.

F.

Petr. Faber, Xaverii collega, 240.

Ferdinandus de Furstenberg, Episc. ac Princ. Monaster.  
& Paderborn. D. Xaverii cliens professus & magnificus,  
ab eo morti instanti præreptus, Basilicam eidem fundavit  
ex voto, 1. & *seq.* 220. & *seq.* Primi, quem jecit ad templi  
fundamentum, lapidis Inscriptio, 223. & *seq.* Apostolicus  
Vicarius per Septemtrionem ab Innoc. XI. creatus, 45. 224.  
227. Missiones Apostolicas XIV. per eos tractus constituit  
suis in perpetuum sumptibus, 45. Quintamdecimam ad Si-  
narum & Japonum conversionem, 19. & *seq.* 223. & *seq.*  
Sacras expeditiones cur Societati JESU crediderit, 215.  
Litteras de hac Missionum fundatione scripsit pietate insi-  
gnes ad Pont. Max. ad P. Verbiest Viceprovincialem apud  
Sinas, & Congregationem Gener. Soc. JESU, 224. & *seq.*  
Fundationis diploma, 226. & *seq.*

Fortes Davidis duo, 101.

Fossæ supplicium apud Japonas, 36. 202. 204.

Francisci Mariæ Episc. Portuensis, Cardin. à Monte,  
Relatio Consistorialis de vita, sanctitate, actis Canoniza-  
tionis & miraculis B. Fr. Xaverii, 70. & c.

D. FRANCISCUS XAVERIUS, quâ patriâ ortus, quâ  
generis dignitate claruerit, 32. 57. 183. 233. Quo ingenio  
& doctrinâ, 180. 249. Quas urbes in Europa suis præclare  
factis illustravit, 59. 152. & *seq.* 180. Divinitus ad Novi Or-  
bis conversionem & Apostolatam destinatus à sorore præ-  
nuntiatur, 77. 180. Lutetiæ prima de sacris expeditionibus  
vota emittit in æde ss. Virginis, festo Assumptionis die,  
116. 120. Funiculis brachia femoraque sibi constringit: unde  
ex itinere periclitans gravissimè, à Deo repente sanatur,  
152. 234. 235. Venetiis, insanabilium nosocomio ministrans





faniem hominis ulcerosi exfugit, 14. 145. 180. 235. In urbe Vicetiâ ægrotanti Xaverio D. Hieronymus apparet, futuraque prædicat, 152.

Xaverius in somnis Indum sibi gestare visus, 3. 57. Designatus ab Ignatio, quàm expeditè ad iter Indicum se accinxerit, 232. & seq. 536. & seq. Nuntius Apostolicus à Paulo III. mittitur, 75. Laureti suum Deiparæ iter committit, 116. Divertere ad matrem postremò salutandam recusat, 233. Olyssipone viaticum jussu Regis oblatum com meatumque non admittit, 130. & seq. Mendicato vicitat inter navigationem; cubiculo cedit inopibus, lectulo ægrotis; animos curat & corpora, 153. Mozambici graviter licet ægrotans, agris ministrat, 132. Goam ad pietatem traducit, 59. & seq. Piscariam oram & alias excolit innumeras, quantâ celeritate, quâ sedulo cultu, fructu quàm copioso, 61. & seq. 74. & seqq. 115. &c. Paravis hostili incursu dissipatis, & fame laborantibus subvenit, 88. Meliaporem ad D. Thomæ peregrinatur, 189. 247. Japoniam sacro Assumptæ Virgini die ingreditur, 120. Meacensis itineris labores, atque inde morbus, 154. 237. Famulum se præbet equiti Japoni ad aperiendam Evangelio viam, 86.

Expeditione, quam in Sinas adornarat, disjectâ. emoritur in monte Sanciani insulæ, 15. & seqq. 62. 68. 148. & seqq. 225. & seq. Mors ejus, tametsi incruenta, martyrii instar obtinet, 158. & seq. Providentiam commendat, 18. 240. 242. Corpus sacrum amplissimis honoribus excipitur Malacæ, 20. 163. Cocini, 166. Goæ, 22. & seqq. 168. & seqq. Ad ejus sepulcrum, ethnici quoque & mahometani frequenti concursu peregrinantur, aliosque eidem summos honores habuerunt, 177. & seq. Christianorum per Indias effusa in Xaverium studia, *ibid.* Ab hæreticis etiam quibusdam scriptoribus eximiè collaudatur, 181. & seq. A Paulo V. in Beatorum, à Gregorio XV. in Sanctorum est album relatus, 183. ab Urbano VIII. in Bulla rite appellatus Indiarum Apostolus 76. 183. Hominum vim innumerabilem Ecclesiæ aggregavit; in iisque Principes ac Reges complures, 75. 80. & seq. baptizandi labore exhaustis sæpe viribus,



20. 80. Eidem fructus debetur ex Orientali missione, præfertim ex Japonica collectus; 30. 176. & seq. 215. &c.

S. FR. XAVERII VIRTUTES & MIRACULA.

Fides, 5. 71. 101.

Spes, 69. & seq. 137. 157.

Charitas, 4. 22. 30. 66. & seq. 70. & seq. 81. & seq. 86. 136. 147. 170. 247. & seq. Navigationem longam difficilemque fuscipit militis unius convertendi causâ &c. 131. Peste laborantibus obsequium bis impendit 42. 210.

Prudentia cum zelo conjuncta, 65. 247. & seq.

Fortitudo. ( vide suprâ, Amplius ) 8. 16. 66. & seq. 70. 79. 81. 99. 101. & seq. 135. 149. & seq. 170. 226. 231. & seq. 243.

Animi submissio Divinæ voluntati, 65. 68. 151. 155.

Honoris humani fuga, 96. 114. 170. 177. & seq.

Ad humillima quæque demissio animi sensu, dictis factisque, 22. 27. 86. 118. 131. 153. 170. 177. 180. 243. & seq.

Obedientia, 60. 232. 236. & seq.

Paupertas, 15. & seq. 87. 115. 151. & seq. 161. 234. Vide jam notata de Xaveriano discessu Româ & Olyssipone &c.

Temperantia & austeritas victûs, 235. & seq. Septiduum aliquando abstinuit omni cibo. quadraginta dies transegit nullo propè victu, *ibid.* Aliæ corporis vexationes adscitæ, 20. 131. 152. 170. 234. & seq. 237. 249. Saniem exfluxit; aquas, quibus ulcerosos laverat, ebibit, 145.

Virginitas perpetua, 20. 70. 119. 161. subobscœnæ cogitationi inter somnum tantâ vi resistit, ut copiosus erumperet naribus cruor, 234.

Justitia & Severitas, 90. & seq. 95. & seq. 115. Vide Ataidam suprâ.

Lenitas & Comitas, 64. 96. & seq. 131. 236. 248. & seq.

Contemplatio & Precatio, 4. & seq. 9. 67. & seq. 70. & seq. 84. 90. 99. 104. & seq. 106. 118 & seq. 124. 127. 129. 132. & seq. 141. & seq. 155. 157. 245.

Pietas in Deiparam, 9. 39. 104. & seq. 115. & seqq. Vide suprâ, *Vota, Lauretum.*

Prophetiæ Spiritus, 9. & seq. 21. 27. 29. 52. 72. 85. 104. & seq. 118. 125. & seq.



Linguarum donum, 75. 232.

Xaverius uno eodemque responso permultis ac diversis quaestionibus satisfacit, 17. 176.

Miracula omnigena, 5. ad 15. 17. ad 224. 27. & seq. 31. ad 43. 45. 65. & seq. 70. & seq. 77. & seq. 84. ad 91. 95. ad 106. 108. & seq. 117. & seq. 123. ad 132. 140. ad 148. Mortuos ad vitam restitutos viginti à Xaverio ex actis Canonizationis constat, 141. (pluresque ab eo tempore, *ibid.*) duos cum efferrerentur, ac pridie sepultum, *ibid.* & seq. Matri humatam à triduo filiam, in sepulcro vivam repertum iri asseverat praestatque 144. Mahometano vectori puellum à sex jam diebus navi in mare excussum absorptumque, reddit in navi eadem vivum ac valentem, 130. Per pueros à se missos, cum aliquà re suo contactu sacratà, morbos quosvis, ac daemones fugat è-vestigio, 146. Per eosdem etiam mortui duo excitantur. *ibid.* Alii per imaginis Xaverii jam defuncti contactum, per invocationem meram nominis ejusdem &c. 31. 147. 175. Xaverius Cottatæ in India, 31. 175. Potami in Calabrià, 33. 185. & seq. ubique terrarum novis maximisque fulget miraculis, 82.

Corpus ejus in vivà sepultum calce per plures menses, ac diutiùs nuda humo conditum; Goæ integram incorruptumque, molle ac tractabile, & mirè fragrans comperitur, sesquianno à morte, & deinceps, 19. ac seq. 35. 70. 161. ad 173. 196. & seq. Navim, quâ devehitur, servat; hospitia & stationes suas, Goamque crebris illustrat miraculis, 20. & seq. 26. 31. 163. ad 168. 171. Puro saepe manavit cruore 19. 22. 161. 164. 173. 197. Brachium, à sancto corpore non sine prodigiis recisum, objectu suo piraticum myoparonem stitit, onerariæ instantem, quâ transferebatur in Europam, 173. & seq. 198.

Miraculorum Xaverianorum brevis complexio, 144. 179. D. Francisci Xav. laudationes compendiarie, 22. 27. ac seq. 170. Elogium Martyrologio adscriptum, 212. *Vide supra Alexandrum, & Clementem.*

Xaverius, idea viri Apostolici, seu perfecti Missionarii exemplum ac praesidium, 49. 230. & seqq. Patronus ab urbibus permultis gentibusque adsciscitur, 28. 32. 40. ac



*seq.* 178. & *seq.* 183. *ac seqq.* 210. & *seqq.* Nomen ejus à populis omnibus celebratum, 82. Cum plerisque illustribus viris, rebusque variis, toto appellatis indice, comparatur, aliis strictim, aliis plenius.

Fulgur mysticum, 5. 241.

## G.

Georgius Alvares, in Xaverium ægrotantem humanus, 151. In eundem mortuum pius, 161.

Gigas, 5. Ad Giganteam Xaverius magnitudinem inter baptizandum excrescit, 78. & *seq.* Cum Gigante Sol in psalmo comparatus; cum utroque Xaverius, 79. & *seq.*

Gloria Xaverii, in coelo, 28. & *seq.* per Indias, 20. & *seq.* 160. & *seq.* per Europam &c. 32. 179. & *seq.*

Goa, 59. & *seq.* Xaverii laboribus consecrata, & sepulcro, 28. 35. 174. 196. &c.

## H.

Habacuc, ab Angelo translatus, 80.

Henoch, 138.

Henricus, Lusitanix Princeps laudatissimus, Indicas expeditiones auspiciatus, 116. & *seq.*

Horatius Etruscos sistens, 100.

Sebast. Hurtadus Corquera, 198. & *seq.*

## I.

S. Januarius Episc. Mart. 40. 211.

Japones, 15. & *seq.* 30. 36. 47. *ac seq.* 56. 62. 67. 75. 86. 95. *ac seq.* 112. 120. 131. 148. 154. 179. *ac seq.*

Jehu rex, 92. 238.

D. Ignatius Antioch. Ep. M. 207. 230.

S. Ignatius Loiola, à Xaverio pater animæ suæ appellatus, 66. ab eodem quantopere cultus, 180. 240. & *seq.* Xaverium per Indias Præpositum Societatis Provinciam constituit, 243. & *seq.* Ipsum jam defunctum, quod nondum audierat, revocabat in Europam, successorem sibi destinatum, 239. & *seq.* Idem utriusque spiritus ac sensus in divinis, eadem gubernandi ratio, 66. 240. Divinitus Luthero objectus, aliisque hæreticis S. Ignatius, 225.

Ignis. cum eo Deus, Angeli, Apostoli collati; Elias, 55. Xaverius, 3. *ac seq.* 62. 67. 70. & *seq.* 81. Ignem è terrâ ac



monte evocavit, 89. & seq. Myfticum ignem longè lateque sparfit, 97. Bis repentino globo & ardore tonantium fulgurantiumque nubium defenditur in Japonia, duabus ex urbibus lapidatione ejectus, 96. Boanerges, *ibid.*

Indicæ urbes & gentes variæ, 16. &c. Indiæ profopœia, 47.

Indis quid contulerit Xaverius; passim, & quod attinet generatim ad Evangelicam prædicationem, 74. & seq. 226. 249. quod ad miracula univerſe, 175. Xaverio quid Indi retulerint, *ibid. ac seq.* Indiæ quàm latè pateant; Indiarum Apostoli titulo quæ subjecta notio, 76. *ac seq.* 82.

Tutor Indiarum, & vivus & mortuus Xaverius, 219.

P. Joannes-Adamus Schall à Bell, è Soc. J. Evangelicus apud Sinas operarius insignis, 48. 227.

S. Joannes Apostolus, 69. 89.

S. Joannes Baptista; 53. 55. 227.

Joannes III. Lusitaniæ rex, 56. 91. 96. 131. 180. 219. Primus egit cum Pontifice pro Xaverii Canonizatione, 177.

Joannes Castrius, Prorex Ind. 219.

Jonas, 60.

Jofias rex, Divini cultûs vindex, 92.

Josue, 73. 177.

Isaias, 140. 242.

## L.

D. Laurentius Mart. 62.

S. Leo Magnus Attilam compellit ad regressum, 103.

Lusitanorum pietas & fortitudo, 7. *ac seq.* 90. (V. Aceni) magnificentia, 22. & seq. 120. 168. & seq. A Lusitanis reperta Japonia, 62. In Lusitania Xaverius, ante suum in Indiam discessum, vocari vulgo coeptus Apostolus; quod illi deinceps nomen perpetuum adhæsit, factis partum & propagatum, 75.

Lutetiæ Xaverius lauream Academicam tulit &c. 180. Asceticis animam excoluit, 235. corpus vexavit quatrduanâ ab omni cibo abstinentiâ, *ibid.* adstrictis carni, impressisq; funiculis, 152. Ejus litteræ, ipso adhuc in vivis agente, Parisiis excusæ fuerunt, Gallicè versæ, 182.

## M.

Magnes, 174.

Malacæ



Malacæ excitat puellam Xaverius à triduo humatam (*V. S. Franciscus Xav.*) videt remota, & sine arbitris gesta, 115. futura prædicit, 106. In concione pugnam describit, dum ea procùl pugnatur, asseritque victoriam, 108. & seq. ab Ataida gubernatore, ejusque assentatoribus & satellitibus indignissimè vexatur, 20. *V. Alvarus.* Miram inter hæc animi æquitatem præstat, oratque & ad aram facit quotidie pro vexatoribus, 244. & seq. Poenas fontibus prænuntiat, 163. Mortui corpus sacrum honorificè exceptum, urbem peste liberat, *ibid.* &c. In eadem urbe sepultum, & aliquot post mensibus exhumatum, religiosus asservatur; utrumque cum miraculis, 164. & seq. Inde Goam transportatur integerrimum, 165.

Manara insula, incolis per sacerdotem à Xaverio missum baptizatis, martyrum septingentorum sanguine irrigatur, 29. Peste ab eodem Xaverio liberatur, 42. 210.

P. Marcellus Mastrillus, in primis apud Xaverium gratiosus, eique substitutus ad Martyrium, 187. Ortus ejus ac nobilitas, *ibid.* jam inde à religioso tirocinio cupiditate exarsit Missionis Indicæ, proque eâ institit, 188. Letali vulnere ad extrema redactus, petit imaginem S. Fr. Xaverii: qui eadem formâ, quâ expressus coram pendebat, apparet ægro; præit vota; repentè ac perfectè sanat moribundum, 188. & seq. non sine aliis miraculis. Proficiscens in Indiam Mastrillus, per Italiam Hispaniâsque, ac Madriti nominatim, à Rege Catholico, maximis honoribus colitur, 195. Gratissimus in D. Xaverium Mastrilli animus, 196. Francisci nomen, Indique felicissimi assumpsit, *ibid.* 207. 220. Xaverii admotis reliquiis dæmonem exegit infessis corporibus, 199. Ejusdem terrores & tumultus inter navigandum, & alibi, contempsit ac superavit. sociis ministravit semper; proceres, nautas, milites & vectores omnes omni pietatis genere exercuit, *ibid.* & seq. 207.

Goæ sanctum Patroni sui corpus induit amictu pretioso ab Hispaniæ Regina accepto, & arcâ laxiore composuit argenteâ, 35. 196. & seq. Nobilium Sodalitatem in honorem D. Xaverii instituit, &c. 196. Sancti imagine piratis objectâ, infestam eorum vim, naviumque cursum cohibuit,



35. 197. & seq. Philippinarum Gubernatorem, cum Manilam miro ductu pervenisset, eadem instructus effigie mirificam adjuvit in bello Mindanaensi, victoremque effecit, 199. & seq. Globum, murali intortum machina, pectore excepit illæsus, 199. Nosocomiis operam navavit egregiam charitate & demissione, 200. 207. Milites, etiam mortiferis plagis venenatisque sagittis vulneratos, ope reliquique adhibitis Xaverii, quotquot attrectavit, sanavit, 200.

Traicit in Japoniam, 201. capitur terram contremiscente, *ibid.* dira sustinet cruciamenta; & arctissime contractus, post multa ludibria, suspensusque in foveam dejectus: ubi tamen cœlestibus affluit deliciis, 36. 202. *ac seq.* Die jam quarto exeunte retrahitur è fossa; gladioque subjectus, P. S. F. Xaverium invocat. Semel atque iterum feritur, sed prorsus expers vulneris, donec ipse annuat, 37. 205. Capite abscisso terra iterum movet, 38. & seq. 206. *ac seq.* Corpus dissecatum atque exuritur ab ethnicis; martyrium à Christianis in Oriente & Occidente celebratur magnam cum Xaverii gloria, 38. 206. & seq. Mastrilli virtutes, vaticinia, visa, aliaque prodigia, totidem Xaverii beneficia & miracula, cuncta asperguntur narrationi.

MARIA V. Deipara, Indicarum navigationum Olyssipone auspex constituta, 116. In ejus æde suburbanam Parisiis prima vota Xaverius nuncupat inter Assumptionis solennia, renovatque eodem loco & tempore, 116. 120. Laureti professionem suam Patronæ commendat, *ibid.* Populares institutiones publicam ejusdem precatione indictam obsignat firmatque, 117. Rosarium collo suspensum gestat Lutetiam Venetias contendens, agensque in India, *ibid.* Circummissio rosario sanat ægros, energumenos liberat &c. *ibid.* Eodem pignore ac dono mercatori incolumitatem spondet, naufragumque servat, 21. 118. Mauros geminos, in mare turbulentissimum scapham abreptos, votiva sacra ad aram Virginis Malacensem facienda pactus, exitio presentissimo eripit, 118. Dominæ invocatione ac præsidio fretus, in severissima tempestate Divinas haurit voluptates, *ibid.* Meliapore ad Marianum altare pernoctat supplex, dæmonumque



victor, 118. & seq. Malacæ in cellâ Marianâ excipit lumina prophetica, victoriam impetrat, 9. 104. ac seq.

Japoniam ipsâ Divæ Assumptæ festâ luce ingreditur Indiarum Apostolus, 120. Ex Deiparæ pictâ imagine apud Japones inchoata Evangelii prædicatio publica. *ibid.* Cœlestis Reginæ item effigies ad Bungensem Regem venienti Apostolo prælata. & Virgini ædem Xaverius Meaci designabat, *ibid.* Matrem Divinam invocat moriens, 18. 120. & seq. 155. Ab ipsâ Trinitati SS. jam corpore solutus animus sistitur, & seq. Xaverii corpus in sacello Virginis Malacensi conditum, 163.

Neapoli honores à Prorege habentur extraordinarii Immaculatæ Conceptioni, operam conferente P. Mastrillo, 188. Deiparæ absque macula Conceptæ perquam studiosus cultor & laudator Ferdinandus Episc. ac Princ. Monaster. 46. & seq. 226. 228. Virginis gradus, gradus virtutis. 237. Deipara sacris expeditionibus felicitatem à Deo conciliat, 45.

Maria Magdalena Jassa, D. Xaverii Soror, virgo religiosissima, & vaticinatione inclyta, 77. 180.

S. Martinus, 141. 158.

Martyres. Jafanapatani Regis filius natu major, ob susceptam Fidem à patre occisus, 29. V. Criminalis, Manara, Mastrillus. Japones è Soc. J. tres Beati, 48. plurimi alii per Indiam & Japoniam, 30. 47. & seq. 177. 187. 219. & seq. Mons-Martyrum, Parisiis, B. Virgini sacer; ubi Xaverius vitæ Apostolicæ fundamenta posuit, 116. 120. (Et Malacæ Mons, in quo structa, indéque denominata ædes V. Deiparæ, 9. 104. &c.) Nangazachi item Mons-Martyrum, qui & Sanctus cognominatur, 203.

Petr. Mascarenias, 219. 323.

Maurica, seu Maurotia, regio maximè barbara, 7. 66. & seq.

Mellus, quem alii Simonem, alii Franciscum dixere; Malacæ præfectus, 104. & seq.

Mindanaï, 35. Evangelio imbuti à Xaverio, 75. & seq. V. Mastrillus.

Miracula Xaveriana, planè Apostolica, 53. 74. & seq. En



generatim, ac Mastrilli nominatim sanatio, cum adjunctis & consequentibus, argumentum illustre fidei Christianæ, Romanæ-Catholicæ, 142. & seq. 194. & seq.

Mortui quot ad vitam, & à quibus revocati legantur in SS. litt. 139. & seq.

Moyses, 66. 71. 94. 104. 123. 140. 148. 232.

## N.

Navarra, Xaverii patria, 57. in ejus clientelam se dedit, 32. 183.

Naufragium, 2. 13. & seq. 134. & seqq.

Navis à Sancta Cruce, insignis vaticinatione Xaverii, 128. Navicula, ejusdem felicitatis ac tutelæ particeps, *ibid.* Navis Lopiana, quâ vectum Xaverii corpus, in cursu bis miraculo servata, in portu Baticalæ ultro subsidit, sacro reddito pignore, 21. 165. & seq.

Neapolis Xaverio in primis addicta, mirisque ab eo donis ornata, 32. & seq. 38. & seqq. 185. & seqq. 207. & seqq. Imago Xaverii portentosa, in eadem urbe, 38. 208. Peste atrocissimâ liberata Neapolis à Xaverio, Liberatorem Patronum adoptat, 39. & seqq. 209. ac seqq.

Nomen JESU à Xaverio participatum, ad gentes regesque ab eodem portatum, 73. 230. Nomen Apostoli, quantum, 73. & seqq. V. Franciscus Xav.

Alphonf. Noronia, Indiæ Prætor, 25. 167. 169.

Nummi aurei Xaverio nascuntur ad stipem, 87.

Melch. Nunnus, 167. & seq. 172. 187. Xaverii corpus transvehit, ac per otium contemplatur; eique lineum amiculum detrahit, quod subinde in Japoniam defert, 168. De Xaverio mortuo quid scripserit, 239.

## O.

Oleum exhausto vasi divinitus restituitur à Xaverio, 87. Olei vice aqua simplex ardet in lychnis coram imagine Xaveriana, 31. 275. Xaverianæ lampadis oleo se inungens leprosus mundatur, *ibid.* alii eodem ægri sanantur, 148. 186.

Operarii aliquot Evangelici, perillustres, 187. 282.

Orationes, Directæ 4. 9. & seq. 33. 58. 68. 109. 127. 190. 193. &c. Obliquæ, 22. 105. 111. 118. 126. 190. 201. 204. 243. &c. Mistæ, 27. & seq. 141. ac seq. 191. &c.



## P.

S. Paulus Apost. 57. 64. 73. 86. 94. 101. 123. 134. & seq. 139. 150. 157. 163. 180. 183. 215. 225. 237. 249. 250. &c.

Peregrini formâ pictus Xaverius, Neapoli maximè colitur, 33. 42. 189. 207.

Jacob. Pereria, Xaverio amicissimus, legatus ad Sinarum Imperatorem destinatus &c. 62. Multa illi futura Apostolus prædicat, confertque præsentia beneficia, 127. ac seq. Lusitano Regi per litteras ipsum commendat, 245. Festos honores arcamque pretiosam curat suis Pereria sumptibus corpori Xaverii, 163. Piæ amicitiae fructum ab eodem percipit jam mortuo, 216.

D. Petrus Apost. 59. 94. 131. 139. 177.

S. Philippus Diac. à Spiritu Domini raptus ad evangelizandum, 80.

Piscatio à Xaverio naviculariis Japonibus fortunata; oræ ipsi maris infecundæ piscium accita frequentia, 131. & seq. Piscatio spiritualis, copiosissima, *ibid.* & 47.

Pluvia, V. Elias, à Xaverio elicita, 6. Ad Cruces, manu Xaverii defixas, imbres vulgo impetrati, 87. 175.

Pompa, coelestis, 4. 25. 28. 97. Bungensis, 120. Goana, 22. ac seq. 168. & seq. Neapolitana, 41. & seq. 211. & seq.

Potamum, Calabriae oppidum, ad radices Apennini; quo in oppido frequentissima ab anno 1652. clarissimaque eduntur miracula, Xaverianæ imaginis occasione, 33. 185. ac seq.

Prophetarum filii, qui dicantur? 187.

## R.

D. Raphael Archang. 175.

Rebendar, solitarius locus, MD. ab urbe Goa passibus: ubi in B. Virginis ædicula depositum Xaverii corpus tantisper, dum illi excipiendo festam civitas pompam instrueret, 21. & seq. 168.

Roma, 4. ibi Xaverius concionatus &c. 59. 62. 180. Romæ sacram ditionem in immensum protulit, 62. 240. Urbis expectatio, designatque honores venturo, ut sperabatur, Xaverio, *ibid.*



- Sagittæ mysticæ, 237. & seq.  
 Samuel Proph. 92.  
 Sancianum, insula Sinica, ubi Xaverius obiit, 17. 148. Ex  
 Apostoli corpore, ibi per aliquot menses defossio, vim mi-  
 rificam venerationemque traxit, 49. 174. & seq.  
 Satis est; Xaveriana vox piâs inter animi delicias, 4. 63.  
 ac seq.  
 Scapha, vi tempestatis à navi abrepta: quam redituram  
 affirmavit Xaverius; & quam visus est dirigere præsens,  
 dum esset in onerariâ, 14. 85. & seq. 88. 125.  
 Scæva, 100.  
 Scutum imperii &c. 101. 103.  
 Sepulcrum D. Xaverii, gloriosum, 28. 31. 35. 49. 174.  
 177. & seq. 196. & seq.  
 Seraphimi, 30.  
 Simon, Oniæ filius, 79.  
 Sinæ, 16. ac seqq. 48. 62. 66. 148. ac seq. 225. & seq. Anton.  
 Sina, à Sancta-Fide cognominatus, pius juvenis, Xaverii  
 comes, moribundo fidelis, mortui præclarè memor, 155.  
 161.  
 Societas JESU, in hæreticos ethnicosque divinitus exci-  
 tata, 225. Xaverio carissima, 240. Ejus meritis Apostolus  
 laborum suorum fructus assignabat, 247.  
 Carol. Spinola S. J. pro Fide passus in Japonia, 48. &c.  
 Mart. Alph. Sosa, Indiæ prætor. 131. 219.  
 T.  
 Anton. Tellez de Silva, classis Lusitanæ prætor, in D.  
 Xaverium egregiè pius, 197.  
 Tempestatis descriptiones, 2. 7. 11. 13. ac seq. 123. & seq.  
 135. & seq. 166. Tempestatis sedatæ quàm rarum miraculum,  
 123. A Xaverio tempestates discussæ, 11. & seq. 20. ac seq.  
 124. & seq. 166. 179.  
 D. Thomas Apost. 28. 47. 118. 241. 247.  
 Thomæ Bozii, Congreg. Orator. Presb. celebre dictum  
 de S. Fr. Xaverio, 181. & seq.  
 Tigres, ultro occurrentis per noctem Xaverii jussu ex-  
 terminatæ Sanciano, 12. 97.



S. Timotheus, 134.

Tolum oppidum, quo in oppido xxiv. hominum à Xaverio millia baptizata, cum tyranni instinctu defecisset à fide, variis expugnatum miraculis, & ad Religionem Christianam revocatum, agente Xaverio, 7. 90. 97.

V.

Petr. Vellius, institor, in pauperes rogante Xaverio eximie beneficus; ab ipso diem vitæ summum certo prænosendum accipit, prænoscitque, 156. & seq. 219.

Vesuvius, flammaram eruptione vastitatem importans, 40.

Vincentius Carrafa, S. J. Præp. Gener. 191.

Vota, Parisiis à Xaverio edita & instaurata, 116. 120. Religiosorum formula votorum, ab ipso renovari quotidie solitorum, in lipsanothecam inclusa, colloque gestata, 34. 194. 241. Eadem vota, cum alio de missione Indicâ, præit Patri Mastrillo, 34. 190.

Ulate insula, per Xaverium hostili soluta obsidione, cum Rege suo Christi imperio subjungitur, 6. 84. ac seq.

X.

Xaverium ad castrum, pietatis causâ, Indus peregrinatur, 184. V. Crucifixi &c.

Xerxes, quàm impotens, 122.

Z.

Nicol. Zambeccari, Consistorialis Advocati, utriusq; Signaturæ Referendarii &c. oratio habita coram Gregorio xv. pro B. Franc. Xaverio Sanctis adscribendo, 54. 74. &c.

Zelus. Vide S. Franc. Xaverii Virtutes; Missiones Apostolicas, fundatas à Ferdinando Furstenbergio, &c.

F I N I S.



Faint, illegible text at the top of the page, possibly bleed-through from the reverse side.

Faint, illegible text in the upper middle section of the page.

Faint, illegible text in the middle section of the page.

Faint, illegible text in the lower middle section of the page.

Faint, illegible text in the lower section of the page.

Faint, illegible text in the lower section of the page.

Faint, illegible text in the lower section of the page.

Faint, illegible text in the lower section of the page.

Faint, illegible text in the lower section of the page.


Faint, illegible text in the lower section of the page.

F I N I S































S.  
XAVE  
RUG

THOMAS  
TAPPA

1723

Th  
5817